



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698


Julius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)


JULIUS.
IN FESTO VISITATIONIS
B. V. MARIÆ.
CONCIO PRIMA.

Exurgens Maria abiit cum festinatione in Montana. Textus.
Luce cap. 1.

Omnes visitat, erga omnes benigna est *Thema.*
 Maria.

olem depinxit Academicus, suos radios undequaque *Exordium.*
 pandentem, inscriptione adjecta; *Omnia visitat,*
omnia fovet, omnibus est propitius: sic B. V. Maria;
 Sol, inter Sanctos radiis gratiarum, omnem hominem
 visitat, omni fovet, omni est clemens ac propitia: unde Chry-
 sippus Orat. de Laud. B. V. Mariam salutat: *Ave fons lucis, omnem* *Patres.*
hominem illuminans; & Idiota in prologo de Maria Virgine: *Christippus.*
Longè positos illuminat Maria radiis misericordia sua; sibi pro- *Idiota.*
pinquos per specialem devotionem, consolationis suavitate, præ-
sentis sibi in patria, excellentia gloria, & sic non est, qui se ab-
scandat à calore ejus. Peroptimè S. Bernardus Serm. fig. ma- *S. Bernardus.*
gnum: Quemadmodum Sol super bonos & malos indifferenter
oritur, sic ipsa quoque B. V. omnibus se exorabilem, omnibus cle-
mentissimam præbet, omnium denique necessitates, amplissimo
quodam miseretur affectu. Et iterum Serm. 2. de Assumpt.
Omnibus misericordia sinum aperit, plenitudinem ejus accipiant
uni-

universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam. Et iterum Serm. 2. de Festo Pentec. Ad Mariam, sicut ad medium, sicut ad arcum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium saeculorum respiciunt, & qui in caelo habitant, & qui in inferno, & qui nos praecesserunt, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascuntur ab illis. Unde B. V. Mariam Richardus à S. Laurentio

Richardus
à S. Laur.

lib. 8. de laud. B. V. vocat centrum mundi: *Maria est centrum mundi, quia ex omni parte mundi omnes habent ad eam recurrere in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes circumferentia recurrunt ad centrum.* Causalem praemittit citatus auctor lib. 4. de laud. B. V. *Cum enim Maria misericordiam genuerit, quid aliud est uterus ejus, quam ipse misericordiarum thesaurus, & ideo dicitur Mater misericordiae. Maria effecta est De-*

S. Laurentius
Justinianus.

Mater, Paradisi scala, janua caeli, interventrix Mundi, damnum fuga, peccatorum spes, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium, solamen laborantium, fluctuantium robur, Dei & hominum verissima mediatrix, scribit S. Laurentius Justinian. Serm. de Annunc. B. V. Beata Virgo, scribit Bernardinus de Busto in Mariali part. 9. Serm. 2. assimilat.

Bernardinus
de Busto.

Assimilatur gallina propter magnam sollicitudinem, quam dominis habet in pascendo, & custodiendo, nam dum esset in praesenti vita, nos pascebat cibo doctrinae &c. habet etiam sollicitudinem in custodiendo, quia sub alis suis nos custodit, & ab insidiis diaboli nos protegit, ipsa enim est illa mulier, cui datae sunt duae alae magne, Apoc. 12. Una ala misericordia, sub qua peccatores fugiunt, ut Deo reconcilientur; alia ala est gratia, sub qua iusti consistunt, ut in gratia conserventur. Argumentum profertur Gerson de Cantichordo Tom. 3.

Gerson.

Quid concedet beatifica in caelis, quae talia dabat in terris afflicta? perdidit misericordiam, nunquam & misericordiam, perdidit passionem, sed nunquam & compassionem, perdidit profecto compassionem afflicti-

vam,

vam, sed retinet compassionem electivam & succursivam. Per-
git in themate B. Petrus Damianus Serm. 1. de Nativ. B. V.
Abstine ut cesset manus tua (ô beata) cum occasione queris sal- ^{Petri Da-}
vandi miseros, & misericordiam effundendi, neque enim tua ^{mianus,}
gloria minuitur, sed augetur, cum penitentes ad veniam, ju-
stificati ad gloriam assumuntur. Concludo cum S. Germano,
Orat. de Zona B. V. Non est revera finis tuæ magnitudinis, non ^{Zeno.}
est numerus tuorum beneficiorum, nullus non est, qui salvus
fiat, ô Sanctissima! nisi per te, nemo est, qui liberetur à malis,
nisi per te, ô purissima! nemo est, cui donum concedatur, nisi
per te, ô castissima! Maria omnibus est amabilis, omnibus est ^{S. Bonavent.}
affabilis, omnibus delectabilis, scribit S. Bonaventura in stimu-
lo amoris part. 3. c. 19. Ipsa est cellaria totius Trinitatis, qua ^{Albertus}
de vino S. Spiritus dat, & propinat, cui vult, & quantum vult, ^{Magnus.}
finit Albertus Magnus in Bibl. Marian. lib. Cantic. Imploratâ S
Spiritus gratiâ desuper Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Ecclesiasticus B. V. Mariam de se testantem introducit: ^{In}
omni terra steti. cap. 24. Psalmista pariter asserente Psal. 44. ^{Confirmatio.}
Assitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumdata va-
rietate. Reginae gloriosissimæ Virgini Mariæ propter incompa-
rabilem suam dignitatem, in throno Majestatis suæ sedere con-
venit, quid ergò causæ subest, quòd Maria Regina magnificentis-
sima, in cœli gloria stet? & stet quoque in omni terra? sive ter-
ra illa sit florida, & fructifera, sive sterilis, & spinis ac tribulis
horrida? Non erravero per terram intelligendo genus huma-
num, Scriptura me docente Genes. c. 3. Memento homo, quia
pulvis es, & in pulverem reverteris. Stare, inquit S. Augustinus
in Psalmum 109. Patrocinantis & adjuvantis est: Non ergò se-
det, sed stat in terra Maria, ad indicandum: quòd omnium homi-
num, sive iustorum, seu peccatorum sit Patrona, Adjutrix, &
Advocata, omnes homines, & bonos, & malos sua gratia visitat,
Pars II. (L) nemi-

neminem spernit, erga omnes pia, clemens, benigna, ac misericors est. Audiamus Patres: *In omni terra steti*, inquit de B. V. S. Bernardus: *quia inter peccatores, qui terra sunt, seu terreni non jacet, neque sedet, sed erecta stat, ipsos adjuvando, & pre-regendo.*

CONCEPTUS II.

Archangelus Gabriel annuntiavit Divæ Virgini: *Ave gratia plena*: Lucæ c. 1. & addit: *Spiritus Sanctus superveniet in te*. S. Spiritum intitulat Ecclesia: *Datorem munerum*, ac gratiarum, si nunc juxta Angeli assertum, Maria jam est gratia plena, cur Spiritus S. dator gratiarum, in Mariam supervenit? An Virgo clementissima plenitudine propria, pro se, & in se, non contenta, etiam gratiarum donis abundare, superfluere concupivit? sed ad quid abundet, superfluet? Explico me moralitate practica; abundat vas vino, vel ambrosia, tunc eo ipso, quod superplenum sit vas, guttatim liquor defluit, & siccam terram humectat, ac recreat: Exsuperat vas preciosis fructibus, ac esculentis; eo ipso hinc & inde decidunt fragmenta, quibus pauper homuncio, & abjecta quæque animalia, reficiuntur, pascuntur. Non ergo sufficiebat, pietissimæ Virgini, in se, & pro se, gratiâ esse plenam, gratiâ jam plenâ concupivit datorem gratiarum super se venire, ut, inquam, gratiis, ac donis abundaret, & superflueret, nos homines, terram siccam, & inanem, profuis gratiarum stillis, indefinenter humectare, recreare, ac deciduis donorum fragmentis, nos pauperes homines, etiam abjectos quosque peccatores, reficere, cum pascere posset. Est hic Conceptus S. Bernardi Serm. de Nativ. *Non sufficiebat Virgini propria plenitudo gratiarum, cupivit gratiarum plenitudine superfluere in salutem cunctorum.* Sic scriptum est Eccles. 24. *In me omnis spes vita, & virtutis, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Do-*
ma 170.

CONCEPTUS III.

Sponsus in Canticis staturam Mariæ Virginis Palmæ assimilat: *Statura tua sicut Palma*: Cantic. 7. Rectius altitudinem Mariæ viti comparasset, de vite enim experientia videmus, quo altior est baculus, cui innititur, eò altior vitis excrescit, baculus Mariæ, est Dei Filius: *Innixa super dilectum suum*. Cantic. 8. Dei Filius baculus Matris Mariæ, est immensus, sic post Dei Filium, in gloria, & honore summitatem attingit Maria, cur ergò non viti, sed palmæ statura Mariæ comparatur? *Statura tua sicut palmae*. De Palma Petrus Maffei refert, in Insulis Maldivis adeò multiplicis esse utilitatis, ut incolæ, hominem quempiam frugi, ac industrium laudaturi, palma utiliorem dicant: nam palmæ exterius, operimentum, stuppam præbet, texendis funibus aptissimam, fructuum cortex, in pocula figuratur, ipsa verò pomi caro pinguedine quadam, & sapore non ingrato, lactescens, comedendi non per se tantum amœna, & salutaris est, sed etiam exhausto lacte, paulatim in oleum eliquatur, totus enim racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, optimum distillat succum, qui variè coctus, in mel, saccharum, vinum convertitur; folia scribentibus pro papyro sunt, & regularum loco domibus imposita pluvias arcent, quinimò, etiam in vestium formam nectuntur; denique, una eademque arbor, ad rem nauticam omnia prorsus instrumenta, & materiam præbet. Unde Aresius palmæ non abs re inscribit: *Omnibus ad omnia utilis est*. Deinde palma licet statura procera sit, non tamen ut aliæ arbores, suos ramos sursum protendit, sed deorsum, terram versus extendit, & quasi brachia opem ferentia, inclinat, fructus suos cuivi offert, donat, & elargitur quàm liberalissimè. Palmæ ergò assimilatur MARIA, *omnibus ad omnia utilis, suavis, ac dulcis*. Maria licet in gloria sit altissima, terram tamen, nos, inquam, homines, ramis gratiarum respicit, ad nos se inclinat, brachiis extentis fructus gratiarum nobis offert, & præsentat: *quasi Palma exaltata in Cad. s, qua expansis ramis in modum manus hominis habet folia, ad defendendum*. Conceptum hunc concludit B. Albertus Magnus in Bibl. Marian. lib. Eccles. num. 6.

(L) 2

CON-

CONCEPTUS IV.

Idem Sponsus, qui modo staturam Sponsæ Mariæ assimilavit Palmæ, dicit ubera similia botris. *Et ubera tua botris.* Cantic. 7. Imo Cantic. 8. ipsa ait: *Ubera mea sicut Turris.* Cur ubera similia botris, cur magna & alta ut Turris? Quæro imprimis, ubera materna cuius rei sunt symbolum? utique benignitatis, ac benevolentiæ, sic Dianam Ephesini pingebant multimammam, causam dicit Angelus Politianus: *Qui cultores ejus decepsi, putabant eam omnium viventium nutricem.* Ubera ergo materna Virginis benignitatem, & benevolentiam designant; botris assimilantur; propter liquoris copiosi dulcedinem, Turri comparantur; propter benignitatis in omnes & singulos abundantiam. Sic in persona MARIÆ loquitur Ambrosianus Antistes in Pf. 118. *Non parva ubera habeo, sed ut Turris ubera mea sunt, in quibus est abundantia.* Abundantia, inquam, materni favoris, amoris, & benignitatis, in omnes & cunctos. Conceptum hunc concludit Richardus à S. Laurentio lib. 7. de laud. B. V. *Ubera Mariæ botris assimilantur, in quo mirabilis prerogativa merendi in Virgine.* Optimè Hailgrinus in cap. 8. Cantic. *Ubera mea sicut Turris: quasi dicat: Misericordia mea, & mea pietas, quibus quædam uberibus suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ, sunt Turris, munimentum scilicet, refugium, & securitas peccatorum.*

CONCEPTUS V.

Variis elogiis & honorum titulis SS. Patres Mariam deprecant; Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laud. V. conformiter dicitis Cantic. 4. *Mariam Virginem fontem hortorum, puteum aquarum viventium, cisternam Bethlehem juxta portam vocat.* Causam addit: *Maria est fons, quantum ad communia beneficia, que exhibet omnibus. Puteus, quantum ad profundas & spirituales devotiones, quas suis spiritualibus subministrat; hac est cisterna Bethlehem, 2. Regum 23. juxta portam, quia omnes vult,*
quan-

quantum in se est, satiare, unde exclamat Eccles. cap. 24. *Transite ad me omnes.* S. Antoninus Mariam compellat Olivam fructiferam in campis, convenienter verbis Eccles. c. 24. *Quasi oliva speciosa in campis.* Cur olivam, & cur rectè in campis? Responder citatus Sanctus part. 3. tit. 31. cap. 4. *Oliva significat misericordiam, quia oleum fructus est linitivum, & dulce, cum olivam, qua est in campis, omnes possunt accedere, & accipere fructum eius, sicut ad Mariam & Justi, & Peccatores accedere possunt, ut inde misericordiam accipiant.* Adam Abbas Perfeniae Serm. de Annunc. Mariam Virgam intitulat: *Virga de radice Jesse: Ilaiae 11.* Cur Virgam dicit, & non potius Cedrum altam, ac Cypressum? In Virga hoc utilitatis reperio: flectitur ad omnem partem, & semper flectitur; Virga ergo Maria: quia benigna flectitur, inclinatur ad nos, qualiter volumus, quando cupimus, quoties imploramus. Ita citatus Scriptor: *Ipsa enim & in Virga misericordiae corrigit devios, est in Virga flexibilis.*

Finio cum S. Bonav. in spec. lect. 6. *Sextum privilegium est Epilogus. Mariae, quod ipsa super omnem creaturam apud Deum potentissima est; te solam Maria pro S. Ecclesia sollicitam pra omnibus Sanctis scimus, qua impetras inducias transgressoribus; Impetra quod rogamus, excusa quod timemus.*
Amen.



(L) 3

IN FESTO

IN FESTO VISITATIONIS
B. V. MARIE,

CONCIO SECUNDA.

Textus. Abiit in Montana cum festinatione. Lucae cap. 1.

Thema. Maria velocissimè iuvat, & succurrit nostris
miseriis.

Exordium. **P**ropheta Ezechiel scribit se vidisse Angelos Cherubinos, undique oculos; simul pedibus ac manibus alatos. *Et omne corpus eorum, & colla, & manus, & penna, & circuli pleni erant oculis, quatuor alae, & similitudo manus hominis sub alis eorum.* Ezech. cap. 10. Quid tot oculi, tot alae in Cherubinis designabant? Utique vigilantiam, ac velocitatem ad Deo serviendum, ad homines iuvandos, protegendos. De B. V. Maria scribit S. Amadeus hom. 8. de laud. B. V. *Maria velocior est ad nos iuvandos ipsis Cherubinis.* Hinc S. Epiphanius Serm. de laud. V. Mariam vocat *Multoculam.* *Quis tot repletus est oculis, quam Mater luminum, quis pariora, & sollicitudine, tam sibi, & aliis vigilavit, quam Mater pietatis.* Non ergò simpliciter, sed summâ curâ, sollicitudine, promptitudine, velocitate, iuvat, succurrit Maria. Audiamus Patres: *Ruth interpretatur videns, vel festinans, & signat B. Virginem, quae verè videns in contemplatione, & bene festinans fuit in actione, videns etiam est nostram miseriam, & festinans ad impendendam suam misericordiam, ita scribit S. Bonaventura in Speculo B. V. lect. 5. Meritò ergo misericordiâ B. V. cursui hinnulorum comparatur, per mundum currit, mundum irrigat, & infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius oc-*

currit ejus pietas, quàm invocetur, & causas miserorum anticipat, scribit Richardus à S. Victore cap. 23. in Cantica. Consolatiſſimè ſcribit S. Germanus Patriarcha Orat. de Zona B. V. *Quis post tuum filium ita generis humani curam gerit ſicut tu, ó Sanctiſſima? quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? quis tam cito præveniens nos ab irruentibus liberat tentationibus, quis in ſupplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus, quis ea, qua corrigi non poſſunt, adeò repugnando excuſat?* Eleganter cecinit Baptiſta Mantuanus lib. 1. Parthen. Marianæ:

Baptiſta
Mantuanus

*Ipsa eſt adverſis commune in rebus Aſylum,
Ante preces etiam nondum obſecrata; favorem
Donat; & in miſeros maternas explicat ulnas.*

S. Spiritus imploratâ gratiâ, deſuper Conceptus adferam.

CONCEPTUS I.

Spiritus S. B. V. Mariam columbam intitulat: *Columba mea, formoſa mea*: Cantic. 5. & c. 6. *Una eſt columba mea*: Cur non potius Aquilam, quàm Columbam nominat? Pierius lib. 22. aſſerit; Columbam charitatis eſſe ſymbolum: de Columba ſcribit S. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ: *Hospitia humana diligit*: teſtatur etiam Pierius; quòd columba præ cunctis aliis volucris, in volatu ſuo rapidiſſimè feratur. Porta etiam ſcribit de occult. liter. not. lib. 2. cap. 11. *Aſſerunt nonnulli, trans mare ad ortum columbas eſſe, per medios hoſtes intercluſâ viâ nunciorum officio jungentes, dominorum literas ſub alis brevi tempore longiſſimè deporrent.* Maria ergò columba dicitur ob indicibilem, incomparabilem, erga homines affectum, quia ad homines in neceſſitatibus adjuvandos, de cælo in terram deſcendit tantâ velocitate, acceleratione, & ſollicitudine, ut rapidiſſimè inſtar columbæ volare cenſeatur. Undè B. V. hodiè per montana peregrinantem S. Thomas à Villar. Conc. de Viſitat. B. V. intitulat: *Celerem columbam, per cacumina montium, per volantem.*

Confirmatio.

CON-

CONCEPTUS II.

Exodi 25. mandavit DEUS Moyfi, ut arcam Domini, seu propitiatorium, in medio duorum Cherubinorum, honorifice custodiendam, collocaret. *Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex utrâque parte Oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque latius propitiatorii tegat expandentes alas, & operientes oraculum.* Cur DEUS Arcam voluit in medio duorum Cherubinorum locatam? & quis per Arcam intelligendus est? Respondet Ildephonsus Serm. 1. de Assumptio. *Profectò Arca Maria est, quia hinc jam transportata est.* Cherubini à Flavio Josepho in lib. Antiquit. *Animalia velocissima* nominantur. Arcam Dei, Mariæ figuram, Deus inter Cherubinos locari voluit, per Arcam, Mariæ propitiationem, clementiam designans, per Cherubinos verò, in propitiando, adjuvando, tuendo, & patrocinando, Mariæ velocitatem indicans: ita concludit Conceptum hunc Benedictus fidelis. *Nobis insinuat in Virginem tunc, quando pro ferendo necessitatibus nostris sublimis sese movet, tantâ cum velocitate, & acceleratione ambulare, ut veluti à Cherubinis ventorum instar, rapiatissimè volantis, portari videatur.*

CONCEPTUS III.

S. Joannes in mirabili sua Apocalypsi, Augustissimam Angelorum Reginam, Sole amictam, Lunamque pedibus prementem, conspexit: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus.* c. 12. Quid per hanc miram visionem, nobis intimatur? Explico me doctrina Anaximandri Philosophi: de quo Plurarchus de placit. Philosoph. lib. 2. cap. 2. refert: Quod hic Philosophus docuerit, Solem ingentem spheram esse ad instar fornacis alicujus igne plenæ: Ignis autem charitatis, ac benignitatis est symbolum: Mariam Virginem igne amoris, & benignitatis, amictam vidit Joannes, ad indicandum: non in una parte tantum, sed

sed toto corpore, à capite usque ad pedes, charitate, amore, gratiâ, favore, ac benevolentia Mariam Virginem erga nos homines ardere, & flagrare, utique ut hunc ardentem suum amorem, nobis miseris, & indigis impertiri posset. *Luna sub pedibus ejus.* Super Lunam quasi super currum defertur; sed cur super Lunam? cur non super sphaeram Saturni, Jovis, Mercurii, aut Veneris, cur rectè super Lunam? De Luna scribit Richardus à S. Laurentio lib. 7. *Luna citius, quàm alii Planeta, perficit cursum suum.* Super Lunam ergò, ut currum expeditum, ac omnium velocissimum defertur Maria, ad cognoscendum; quod nostra clementissima Patrona nos cum omni possibili velocitate amoris sui, ac gratiarum donis, cumulare, ditare desideret. *Ejus pedibus supponebatur Luna tota, ut citissimè discurreret.* Concludit Conceptum hunc Florus de orat. & prec.

CONCEPTUS IV.

Archangelus Gabriel divam Virginem salutans non compellat gratioso nomine Maria, sed dulci hoc nomine omisso, ad Virginem inquit: *Ave gratia*: Lucæ: 1. Non Mariam vocat, sed *gratiam* dicit: ad indicandum: Mariam erga genus humanum, meram esse gratiam, homines foventem, juvantem. Ita Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laud. B. V. *Proprium nomen ejus tacuit, & hoc quasi pro nomine ejus proprio posuit, ut gratia deinceps vocaretur.* Conformiter S. Bonav. in Spec. Virg. cap. 13. *Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipsa gloriosa Virgo, Gratia quodammodo dici possit.* Ergo mera gratia erga nos homines est Maria omnimodè favens, fovens, patrocinans; sed exindè quia gratia est, & quàm velocissimè, citissimè, festinanter juvat, & patrocinatur: teste S. Ambrosio lib. 2. in Lucam: *Nescit tarda molimina S. Spiritus gratia.*

CONCEPTUS V.

De Sponsa sua, quæ est Virgo immaculata, inquit Spiritus S. Cantic. cap. 7. *Umbilicus tuus sicut crater tornatilis.* Cur quæso umbilico, crateri comparat, & cur hunc tornatilem dicit? Respondeo quæstioni: Umbilicus, medium est in corpore, crater ambrosia plenus tristem exhilarat; Umbilicus Virginis Crateri comparatur; nempe Virginem Mariam esse mediatricem, consolatricem, adjutricem hominum opportunissimam; hinc & tornatilem esse adjungit, formæ inquam rotundæ, natura sua perquam citissimè, velocissimè de loco ad locum motivæ; sicut viter indicando: Mariam Virginem non tantum mediatricem, consolatricem esse mortalium opportunissimam, sed & velocissimam, citissimam, expeditissimam. Est hic Conceptus Jacobi de Voragine in Mariali Serm. 17. litera C. sic scribentis: *Dicitur Crater tornatilis, quia habet motum facilem, & cursum velocem, quamvis alii sancti de facili moveantur ad nostrum auxilium, ipsa tamen omnibus sanctis movetur facilius ad nos.* Et iterum part. 3. Serm. 4. Prærog. 1. *Res enim rotunda ad movendam est apta, & velox, sic B. V. levi motu ad succurrendum nobis se erigit.* Hinc capio dictum Ecclesiastici cap. 24. de B. Virgine afferentis:

CONCEPTUS VI.

In fluctibus maris ambulavi. David Psalmo 18. ut vult Bartholomæus Pisanus lib. 1. de laud. & vita B. V. gressus Mariæ gigantes nominat: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam suam.* Investigemus mysterium, cur gressus B. V. gressus Gigantis vocantur? & cur se ambulare asserit super fluctus maris? De Gigantum gressibus inquit Hugo Cardinal. in 1. ad Corinth. c. 9. Eos tam veloces, celeres, & festinantes esse, ut uno anhelitu conficiant mille passus: Sic Gigas Hercules uno anhelitu curabat mille passus. Cursus ergo B. V. Mariæ giganteus dicitur; *Exulta*

Exultavit ut Gigas ad currendam viam suam. Ad indicandum: piissimam Dei Matrem mortalibus celerrimè, velocissimè, citissimè succurrere, patrocinari. Subscribit citatus Pisanus: *Potesť Maria pietas intelligi, à summo enim cœlo per pietatem egressio ejus ad ministros sublevandos.* In fluctibus maris ambulare se Virgo sacratissima asserit, cūr in fluctibus maris? experientia teste pacato mari navigando tantum iter confici uno die, quantum curru, vel equo quinque diebus vix absolvi possit; vifcerosissima igitur Mater, & Patrona nostra, per mare se deambulare asserit, ad capiendum, quàm sollicita sit ac festina ad nos juvandos, ut iter suum brevitate, qua fieri potest maxima, expediat, ut hac ratione quàm citissimè nobis adesse, suâ nos præsentia consolari, suo valore protegere, suisque gratiis nos ditare possit.

CONCEPTUS VII.

Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui paucuntur in liliis. Cant. 4. de Virgine Maria inquit Sponsus Spiritus Sanctus. Cur quæso ubera virginea hinnuli capreae comparat? Hailgrinus in cap. 8. Cantic. per ubera Mariae, ejusdem clementiam, & maternum favorem intelligit. De hinnulis capreis Naturalistæ docent, quòd sint acutissimi visus, simul & velocissimi cursus, ubera ergò Virginis, comparando hinnulis capreis indicat Sponsus; Virginem Mariam erga nos mortales abundare maternâ pietate ac clementia, & hanc in omni afflictione se invocantibus festinanter & velociter impertiri. Concludit hunc Conceptum Richardus à S. Laurentio de laud. B. V. lib. 1. *Duo ubera B. V. Mariae, de quibus velut lux piæ subventionis dulcedo sugitur, sunt affectus pietatis, & misericordiae, qui velut capreae acuto lumine considerant, quis, & quantâ indigeat ope, & per talem considerationem occurrunt velociter ut hinnuli, & propter varios subventionum modos per hinnulos signantur, qui pulchra sunt varietate distincti.* Concordat & Richardus de S. Vi-

(M) 2

ctore

ctore cap. 23. in Cantie. Merito misericordia B. V. cursus hinc
nolorum comparatur, per mundum currit, mundum irrigat, &
infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius
occurrit ejus pietas quam invocetur, & causas miserationum
anticipat.

Epilogus.

Hortor ergo cum Dionysio Carthusiano lib. 3. art. 21. de
laud. B. V. Ideo quicumque mœrore deprimeris, desolatione affi-
geris, adversitatibus pragravaris, hanc piissimam prorsusque
suavisissimam accede, implora, contemplare Mariam, & citò su-
ties opem, persevera invocare ejus misericordiam, & ce-
leriter experieris consolationem.



IN FESTO VISITATIONIS
B. V. MARIÆ,

CONCIO TERTIA,

Ut audita est vox salutationis tuæ in auribus meis, Textus.
exultavit infans in utero meo. Lucæ cap. 1.

Ubi Maria est, ibi omnis est felicitas.

Thema.

EXordiū mei Thematis, orditur doctissim⁹ Idiota in pro- *Exordium.*
logo de contempl. B. V. *Inventa Virgine Maria, inve-*
nitur omne bonum, ipsa namque diligit diligentes se,
imò sibi servientibus servit. Ipsa super benedicto Fi- *Idiota.*

lio suo irato potissimè reconciliat servos, & amatores suos. Tan-
ta quoque est ejus benignitas, quod nulli formidandum est ad
eam accedere, tantaque misericordia, quod ab ea nemo repellitur,
imò donis & charismatibus adificat servos suos, ut superbe-
nedicti Filii sui, & Spiritus Sancti digna fiant habitatio. Ipsa
preces & sacrificia servorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur,
representat in conspectu divine Majestatis. Unde Eccl^s. cap. 24. ait de Maria Virgine Spiritus Sanctus: *Qui me*
invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.
Adest Virgo pientissima in domo Zachariæ; Lucæ 1. Et tota ædes
felicatur. Elisabeth repletur Spiritu Sancto, Joannes sanctificatur
in utero, Zacharias prophetans, benedicit Dominum. Adest
Maria ad nuptias in Cana Galileæ, Joan. cap. 2. & ex aqua factò
vino lætantur convivæ, felicitantur Sponsi. Adest Maria in sta-
bulo Bethlehemitico, & felix stabulum, quod erigitur in Regale
Palatium. Adest Maria, & stat sub cruce ad latus Dismæ, & in

(M) 3 agone

- agone latro summè felicitatur, dum cœli dono ditatur, *hodie mecum eris in Paradiso*. Matth. 27. Adest Maria in cœnaculo S. Pentecostes die, & S. Spiritu repleti sunt omnes. Act. cap. 2. Ubi ergo Maria, ibi est summa felicitas. Quàm benè Adam Abbas Perfeniæ, Serm. de part. B. V. in Mariali. *Maria est felix vir, quam qui tenuerit non errabit, felix Maria, quam qui perseveranter amaverit, non peribit. Per Mariam dispensatur gaudium omni creature, genusque humanum antiquam dignitatem recuperat*, scribit S. Gregorius Thaummat. Serm. 2. de Annunc. B. V. *Redempturus genus humanum omne precium contulit Deus in Mariam*, scribit S. Bonaventura, Serm. de Nativ. B. V. *Quàm voluptate, quibus bonis non impletur, qui Matrem suam, sanctissimam memoria promptuarium effecit*; habet S. Johannes Damascenus Orat. de dormit. B. V. *Beatus vir, qui diligit nomen tuum Maria, gratia tua animam ejus confortabit, tanquam aquarum fontibus irrigatum, uberem in eo fructum justitie propagabis*. S. Bonav. Pf. 1. *Cui saltem ita concessum fuerit, sæpe dulci studio cogitare de Virgine Maria, magnum promerenda salutis indicium esse conjecto*, docet S. Anselmus de Excell. Virg. cap. 4. *Maria presentia, gratam Veris temperem exhibebat, & quo favens se verteret, Paradisus erat*, perorat divus Amadeus hom. 7. de laud. B. V. *Finis cum S. Bonav. Qui acquirit gratiam ejus, agnoscetur à civibus Paradisi, & qui habuerit characterem nominis ejus, annotabitur in libro vite*. in Pfalt. B. V. Psalmo 91. Imploratâ S. Spiritus gratiâ in materiam Conceptus audire placeat.

CONCEPTUS I.

- Confirmatio.* Dum Christus Dominus satis efficacem orationem discipulos edoceret, qua omnia impetrare possent, hanc formulam præscripsit Matth. cap. 6. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Ut Deum, in hac prece Patrem nominemus, docuit, cur rectè Patrem, & non potius Regem,

Regem, vel Dominum, nominare Deum instituit? causalem infirmitat Tertullianus lib. de Orat. cap. 2. *Appellatio ista, vel pietatis, & potestatis est, item in Patre & Filius invocatur: Ego enim, inquit, & Pater unum sumus, nec Mater quidem præteritur, siquidem in Filio & Patre Mater agnoscitur, de qua constat & Patris, & Filii nomen.* Deum, Patrem nominando, subobscurè, & Matris Mariæ, fit mentio, docuit ergo Christus, ut Deum, non Regem, non Dominationem appellemus, sed Patrem invocemus, ut hoc nomine, & Matris Mariæ mentio, ac præsentia fieret, quâ citius depellatur calamitas, arrideat felicitas, nam ubi aliqualis Mariæ resplendet umbra, sine calcari adventat cœlestis gratia, quia per Mariam, & gratia hominibus est expromptior, & misericordia impensâ celerior.

CONCEPTUS II.

Ob Benjamitarum ingens crimen, timorata conscientia Judæi, in nefarios hos peccatores armati egrediuntur, super Dei offensam, commissam pœnam, & ultionem petaturi, & licet optima fuerit intentio, casus tamen his zelotis evenit infortunatissimus, & exitialis: Etenim à Benjamitis cæsi, ac fugati sunt: *Egressi filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel 22. millia virorum.* Judic. cap. 20. Hâc clade perpetrâ non dejiciunt animos, secundo Benjamitas aggrediuntur, sed iterum ruunt, ac succumbunt: Tertiâ tandem vice in conflictu, non solum Benjamitas vicerunt, sed prorsus atterunt. Qua de causa, quod rectè tertiâ vice, & non etiam primò, & secundò conflictu, victores, ac felices exstiterunt? causam indicat sacer textus: *Eo tempore ibi erat Arca fœderis Domini.* Judicium 20. S. Ambrosius Serm. 25. scribit: *Arcam quid nisi sanctam Mariam dixerimus.* Exindè discamus: Quasi umbræ, præsentia Virginis tribuendum sit beneficium; ubi ubi Mariæ umbra exstat, cedit calamitas, arridet omnis felicitas. Expertus est David.

CON-

CONCEPTUS III.

David à facie Absolon rebellis filii fugere cogitur, *constantes viri flebant voce magna.* 2. Regum c. 15. Abulensis quæst. 28. inquit; hunc fletum, & suspiria populi, ad Deum fuisse supplices preces, ut ab imminente periculo, pudore ac confusione, Rex David eriperetur. Verba Abulensis sic sonant: *Lugebant, divinam implorantes propitiationem.* Ast ad tristem luctam, & supplices preces multorum virorum, periculum omnino non cessat, non tollitur timor, & anxietas; David, tristis ac lugens errat in solitudine, & eremo. Tandem placatus Dominus Deus, David in Regnum introducit, hostibus sublatis, pace quietâ donat: desideratis scire quando? dicit Scriptura tempus: *Venit Sacerdos, & universi Levitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei.* Doctissimus Sanctius ait: *Quo majus illius fortuna præsidium accederet, Arcam secum adduxere.* Dum ergo Arca fœderis advenisset, optimè sensit David, fortuna mortificata reviviscit, negotium Davidis optimum sortitur effectum. Arca fœderis est umbra Mariæ, hæc ubi adest, fortuna floret, felicitas virefcit. Ubi accedit Matris reverentia, temperatur facilius Filii via, nequit numen non gratificare ei, quem Matris umbra probatur protegere: Audiamus Basilium Seleuc. *Cum multa nobis bona, quæ nullius oratio posset assequi, Deipara opera nobis contingunt, eam benemerenti vicem rependimus.*

CONCEPTUS IV.

Jacob supplex ad Dominum, in momento, & adhuc in illo loco constitutus, quod petit obtinuit: *Et benedixit ei in eodem loco.* Genes. 32. Tempus & horam adnectit sacer textus: *Fam enim ascendit aurora.* Ad auroram ingredientem, & præsentem, felicitatur Jacob, largè benedicitur: cur rectè ingrediente, ac præsentè aurorâ? Petrus Damianus Serm. 41. de Assumpt. B. V. per auroram B. Virginem intelligit. *Hæc est aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur Sol Justitiæ; solius Soli claritati succumbens.* Aurora referens Mariam, benedictionem accelerat, & felicitatem hominum præmaturat. Illa præsentè copiosior benedictio

dictionis infunditur gratia, Maria est Dei ad misericordiam formos, dura Dæmonum pernicies, felix hominibus astrum, fortunatum auspiciam, salutis myrothecium, calamitatis exilium, vitæque ditissimum promptuarium.

CONCEPTUS V.

S. Lucas cap. 10. narrat, cum viator in grassatorum manus incidisset, plagisque oppletus, ultimos ageret spiritus; Samaritanus illuc iter agens, misericordia motus, non sine vini morsu vulnera medicatus est. *Samaritanus iter faciens venit secus eum, & videns eum, misericordiâ motus est, & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum.* Salus reddita est ægro, non tamen statim, sed postquam in stabulum introductus, & salubribus vinculis illigatus est. Transi modò ad Actorum caput 3. Ubi cum claudus nativitate, & ex utero suæ matris, eleemosynam precaretur, à S. Apostolis Petro & Joanne pedes accipit, & quos nequibat natura, gressus reformavit misericordia: *Quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa.* Ad portam speciosam adeò celeriter impetravit beneficium, ut antequam cogitatione præsumeret, non solum insuetam viam mensus fuerit firmis gressibus, sed expeditis saltibus: *Apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus, & planta, & exiliens stetit, & ambulavit.* Jam sese difficultas offert; si Samaritanus ille, ut placet divo Thomæ in Catena, Christum referebat: ait enim: *Samaritanus Christus est.* Cur salutem saucio non statim restituit, nec sine vini austeritate donavit? claudus econtra salutem ad verbum unicum, unico solum Petri nutu obtinuit, & invenit? Advertite textum recitare, claudum hunc ad portam templi speciosam confestim: *Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa:* Richardus à S. Laurentio lib. 10. de laud. Mariæ, per portam templi speciosam, MARIAM intelligit: *Ipsa designatur per portam templi, quæ dicitur speciosa, Act. 3. ad quam debemus*

Pars II.

(N)

mus

mus sedere, & mendicare exemplo illius claudi, quem sanavit ibi Petrus dicens ei: In nomine JESU Nazareni surge, & ambula. Ubi ubi Virginis præcessit imago, & præsentia, misericordia claudis & celerior, & salus facilior, at ubi Virginis nulla præcesserat umbra, salus viatori aliquantulum tardior, & medela etiam austerior: ut hinc noscamus, quam citò ad Deiparæ præsentiam nostra calamitas depellatur, & absque doloris censu si- lus reparetur: Ubi præsens est tanta umbra Mariæ, ibi misericordia & profusior, & celerior.

Epilogus.

Studeamus ergò Mariam Virginem semper nobis habere præsentem, hanc gratiosissimam Matrem intimè colendo, & venerando: Præsens Maria, nos felicitabit, si à cordibus nostris, honor ac cultus Marianus nunquam exulabit. Audiatur Thomas à Kempis Serm. 21. ad Novitios, part. 3. *Si consulari in omni tribulatione queritis, accedite ad Mariam Matrem JESU, & omnia gravamina nostra, aut citò recedent, vel leviora fient; Eligite hanc benignissimam Matrem JESU præ cunctis parentibus, & amicis vestris, in Matrem specialem, & Advocatam ante mortem, & salutate eam salutatione Angelica frequenter, quia hanc Vocem audit valdè libenter; Maria libenter pro vobis orabit pro sua clementia, & JESUS Matrem suam libenter audiet, pro sua reverentia.*

Amen.



IN FESTO S. MARIÆ
MAGDALENÆ.

CONCIO PRIMA.

Mulier in Civitate peccatrix. Luc. e cap. 7.

Textus.

Mulier lasciva, maximum est Orbis, ac
Urbis malum. Thema.



Abulosa antiquitas tradit ipsum fortissimum Mar-
tem, Veneris amplexus, reti & quidem ferreo à
Vulcano fabricatum, luxisse. En, & Mavors in Ve-
neris domo invenit, quibus caperetur, ferreos la-
queos, nodosa retia, difficillima vincula: unde lasci-
væ foeminae cor, reti comparat S. Gregorius Thaumaturgus:
Cor ipsius quasi sagena pratererentes concludit. Academicus
subscribit Lemma: *Prædantur errantes. Ut auceps rudibus avi-
bus juxta sata, aut fluvios obtendit retia, illeque brevi volu-
ptate illecta ingemunt inextricabilibus vinculis irretita, sic ca-
ptiosas rivalis, aut hostis tendiculas patitur, qui meretricis do-
mum ingreditur, sæpe ipsa adversariorum causam agit, insidias
sæpe disponit, & mortem voluptatis mercedem infert.* Sic ele-
ganter perorat doctissimus Naxera Comment. in Judices cap. 16.
§. 38. Huc faciunt verba Ecclesi. cap. 7. *Inveni amariorem morte
mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vin-
cula sunt manus illius.* Et Prov. 2. habet: *Inclinata est enim
ad mortem domus ejus, & ad inferos semita ipsius, qui ingredi-
untur ad eas, non revertentur.* Unde Proverbiorum 22. hor-
tatur Salomon: *Ne intenderis fallacia mulieris, favus enim di-
stillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: novissima*

Exordium.

Textus Sacre
Scripturae.

(N) 2

autem

autem illius amara, ut absinthium, & lingua ejus acuta, quasi gladius biceps, pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus ejus penetrant. Audiamus S. Chrysofostomum Serm. de decollat. S. Joannis, malitiam lascivæ foeminae describentem: O malum summum, & acutissimum Diaboli telum mulier, o malum omni malo pejus mulier, hæc est naufragium super terram, fons nequitia, animarum exitium, sceptrum inferni, juvenum perditio, Diaboli consolatio, caninus succensus, vestita vipera, exornata mors, officina Damonum, immanis bellua, quotidiana calamitas, dolor insatiabilis, triumphus tenebrarum. Dicitur est Simonidis Philosophi: Hæc est inconstantie theatrum, fragilitatis speculum, vanitatis symbolum, mater astutia, magistra malitia, ministra fraudum, inventrix deceptionum, amica simulationum, flumen, in quo mordens aspis nidulatur, cinis, in quo ignis celatur, herba, sub qua serpens occultatur. Dolosæ Sirenes lascivas feminas Petrus Damianus vocat: quippe que generosam mentem, à capto virtutum tramite, avertunt, & improvidam in perennis exitu Charibdim precipitant. Opusc. 18. disc. 1. c. 7. Verba Damiani sic sonant: Vos Sirena, atque Charibides, qua dum suavem deceptionis editis cantum, inevitabile struitis, salo vorante naufragium. Phanteras dixeris lascivum mulierum genus: docet Joannes Saresburiensis lib. curial. Nug. resburiensis. Propinant dulcia, & lethale virus admiscunt; Academicus subscribit Symbolum: Alliciunt, ut opprimant. Experto credet, S. Augustinus coram Deo non mentior, cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste concidisse reperi, scribit S. Augustinus apud Lohnerum in Bibli. Verbo Mulier. Post confessionem, victoriarumque calcata certamina, post magnalia, & signa mirabilia, noscuntur in his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. S. Cyprianus. Quantos leones domuit una infirmitas delicata. De carbonibus scintilla disfliunt, de ferro rubigo nutritur, de vestimentis tinna, de muliere peccati aculeus, sibilus conscientia, fomes pestilentia.

Pares.

S. Chrysofostomus.

Petrus Damianus.

Joannes Saresburiensis.

S. Augustinus.

S. Cyprianus.

silentia; docet S. Cyprianus de signis Cleric. Ante ignem consistens, etsi ferreus sis, aliquando dissolveris, proximus peri. S. Isidorus. *culo diu tutus non erit, inquit S. Isidorus lib. 2. solit. Servit ut ignis, rapit ut Leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, cæno volutatur ut aper, sat nunquam dicit ut infernus, de fœmina lasciva asserit S. Laurentius Justinianus de intern. conflictu cap. 3. Invocatâ S. Spiritûs gratiâ desuper Conceptus dictabo.*

CONCEPTUS I.

Apologus est Diabolum septem procreâsse filias; nempe superbiam, usuram, hypocrisin, simoniam, rapinam, gulam, luxuriam; his filiabus singulis, singulos dedit sponfos: genuit Diabolus superbiam, & dedit eam Mulieribus, genuit usuram, & dedit illam Mercatoribus, genuit hypocrisin, & dedit illam Religiosis, genuit simoniam, & dedit illam Sacerdotibus, genuit rapinam, & dedit eam Militibus, genuit gulam, & dedit eam Divitibus: genuit Luxuriam, & hanc nulli determinatè, & in specie elocavit, sed constituit meretricem, omni statui communem. Vult ingeniosus Apologus insinuare: Diabolum per cætera vitia tantum unum genus hominum decipere; per superbiam mulieres, per usuram mercatores &c. per fœminam lascivam, per mulierem peccatricem verò, decipit Diabolus, omnem statum, omnem hominem in peccata, & scelera ducit, & pertrahit: subscribere videtur hunc Apologum S. Bernardinus tom. 4. serm. 21. de luxur. *Non est aliquod vitium, per quod mundus tantum subjiciatur Diabolo: hoc peccatum latificat infernum, & quasi totum mundum trahit ad supplicium.* Conformiter loquitur S. Isidorus lib. 2. sentent. cap. 39. *Magis per luxuriam humanum genus subditur Diabolo, quam per cætera vitia, cum enim ille variis delictamentis conetur homines pervertere, magis tamen machandè desiderium suggerit, quia utrumque sexum in hoc vitio amplius agrotare intendit.* Verissimè S. Thomas à Villan. Conc. 2. de S. Ildephonso: *Avaros, superbos, invidos, iracundos, plures devotos invenies, & licet peccatores, tamen pii, & qui in Deum &*

(N) 3

Sanctos

Sanctos ejus, piam & devotam habeant affectionem, libidinosum utique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur, & diligit, nulla in eo devotionis scintilla, nullum spiritualis amoris vestigium. Optimè S. Augustinus: Experto crede, coram Deo non mentior: Cedros Libani sub hâc peste concidisse. Mulier lasciva compendium est omnis malitiæ; ultrò hoc fatetur mulier Samaritana.

CONCEPTUS II.

Narrat Joannes cap. 4. Salvatorem nostrum fessum, & languidum, sedisse ac quievisse ad quendam fontem penes Urbem Samaritæ: *Erat ibi fons Jacob, JESUS autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem; contigit ergò tunc mulierem quandam pro haurienda aqua ex urbe advenisse ad fontem, cum hâc Christus spirituales discursus in longum protraxit: Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viventis in vitam aternam, &c. Ad hunc & plures discursus: Reliquit hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus, venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci. Notare iibeat verba hujus mulieris: Qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: Si citatum caput benè ruminetur, Christus hanc mulierem solùm de incontinentia, de lascivo, & meretricario opere arguit: *Benè dixisti non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tamen vir.* Si solùm de lascivia, & incontinentia mulierem arguit, quomodo omnium scelerum se ream fatetur: *dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Non mentitur fœmina, verè confitetur, se omnis mali ream, quia meretrix erat, lasciva & proflituta. Audiat S. Laurentius Justinianus de inter. conflictu c. 3. *Carnalis illecebra propagatur in carne, coalescit in tempore, enutritur in vitis, neglecta roboratur, & dum dominatur, interimit, nunquam rationis legibus cedit, nunquam superata quiescit, semper floret, semper viget, serpit continuo ut cancer, sævit ut ignis, rapit ut leo,**

leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, caeno volutatur ut aper, sat nunquam dicit ut infernus. S. Apostolus ad Galatas c. 5. concludit: *Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, ira, rixa, dissensiones, secta, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* Lasciva ergo mulier est omnium scelerum rea, Dæmonis vicaria.

CONCEPTUS III.

Recens quidam Author narrat ex historia novarum Indiarum haberi, quoddam esse Regnum in Armenia, in quo Regno lasciva mulier, & Diabolus uno eodemque verbo significantur: Mulier significat: *Ita*: & diabolus etiam *Ita* vocatur, quæ causa est, quod mulierem lascivam, & diabolum, eadem nomenclatura significant? An fors lascivis, ac prostitutis foeminis, non simplicem, sed diabolicam inesse nequitiam, & dæmoniacis fraudibus, dolis, deceptionibus abundare judicant? undè foeminam lascivam eodem, quo Dæmonem ipsum, verbo notarunt? sic judicant omninò hi americi populi, in fide vera eo magis desuper confirmandi, cum Eccles. dicat cap. 25. *Commorari leoni, & Draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Desuper Auctor imperfecti operis: *Ne putes in Ironia hoc eum dixisse, ex ipsis verbis discite manifestius.* Audiatur S. Chrysofomus hom. 15. in Matthæum: *Ego existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri mala, mulier enim impudens nemini parcat, non Levitam honorat, non Sacerdotem reveretur, sed omnibus insidiatrix facta, omnes pariter crudeliter occidit.* Pariformiter S. Ephrem. cap. I. de mala muliere: *Nihil Leone terribilius, aut inter reptilia Dracone crudelius visum, sed nihil tamen ad malam mulierem.* Mulierem, inquam, impudicam, lascivam, ac prostitutam. Proverbiorum cap. 7. Sapientissimus signanter exprimit.

CON-

CONCEPTUS IV.

Mulier in ornatu meretricio preparata ad decipiendum animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis: nunc juxta angulos insidians: multos enim vulneratos dejecit, & fortissimos quoque interfecti sunt ab eâ, via inferi, domus ejus, penetrantes in interiora mortis. Et iterum cap. 23, inquit Salomon: *Fovea profunda meretrix, & puteus profundus aliena.* Duo hic consideranda veniunt, primò lascivam sceminam Salomon dicit *viam ad inferos*: secundò, inferno comparat: *foveam profundam* nominando: cur rectè lascivam sceminam *Viam* dicit? & non potius iter? secundò, cur inferno ipso comparat? Paulus Jurista, apud Ambrosium Calep. verbo *Via*: inter *Viam*, & iter hanc facit distinctionem; *Via* est lata platea, etiam pro curribus & rhedis patula; *Iter* contra, est via valdè stricta & angusta, viatori pedestri solùm commoda: Ex hac doctrina patet nunc, cur Salomon sceminam lascivam, non iter, sed *viam inferi* dicat, ad indicandum: quòd mulier lasciva, Venus prostituta, ut S. Bonaventura in diata salutis loquitur: latissima sit platea, speciosissima, longè latèque patens via ad interitum, & ad ruinam corporis & animæ; per alia vitia, quasi tardè, pedetentim, & in paucitate ad infernum homines vadunt; per sceminas lascivas autem, fragilis mortalis, festinanter, in posta, in copia, curribus & rhedis ad damnationem currit, & properat. Ita ut quidam Theologus audeat dicere: si centum adjudicentur inferno, et his centum, 99. propter lascivas mulieres ad inferos descendunt. Ideò & Salomon lascivam Venerem inferno comparat, *fovea profunda meretrix*, cur inferno? Causam indicat Academicus, qui inferno adscripsit Lemma: *Ingressus, non egressus.* Qui infernum semel ingreditur, egredietur nunquam, redux venisse non legitur; *Ex inferno nulla est redemptio.* Sic ad inextricabilem animæ ruinam inducit meretrix, Audiatur S. Augustinus Serm. 107. de tempore: *Pro inferis ponitur domus meretricis, quia nemo*

nem repellit, omnes intrantes ad se trahit, quia ignem inferni habet domus meretricis. Concludit Conceptum hunc Salomon Prov. cap. 2. *Inclinata est enim ad mortem domus ejus, & ad inferos semita ipsius, omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.* Et Oseas cap. 5. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum.*

CONCEPTUS V.

Audire libeat lascivam foeminam loquentem Prov. cap. 7. *Intexus funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Aegypto, aspersi cubile meum myrrha & aloe, & cinnamomo, veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupidis amplexibus, donec illucescat dies.* Doctissimus Cardin. Hugo in hunc locum advertit in textu citato, unam solum speciem aromaticam dulcem, nempe cinnamomum, duas vero amaras, myrrham & aloë, à lascivâ foeminâ apponi: ad indicandum: si mulier lasciva carnis voluptate, unam dulcedinem apponit, continuo & duas amaritudines adfert, duplicem, inquam, amaritudinem, immensarum ærumnarum, quæ hujus voluptatis ergo, in hac vitâ tolerantur, & amaritudinem poenarum, quæ à divinâ Justitiâ illi in inferno reservantur. Audite loquentem Hugonem: *Tres species aromaticas nominat, duas amaras, & unam dulcem, in quo notatur, quod in carnali opere plus est amaritudinis, quam delectationis, una amaritudo pertinet ad presens seculum, alia ad futurum.*

CONCEPTUS VI.

De muliere lascivâ inquit Isaias cap. 14. *In occursum adventus tui suscitabo tibi gigantes.* Qui sunt illi gigantes? Respondet Naxera Comment. in Judices cap. 16. §. 38. *Hi gigantes sunt maxima corporis & animæ pericula, sunt fortissima, justitiæ, æquita-*

Pars II.

(O)

æquita-

æquitatisque colore minantia vincula, gigantes hi sunt calidissimi auri tui, pecuniæ, & substantiæ tuæ prædones. Testem allego filium prodigum, quantos non prædones & fures expertus est? divitem substantiam omnem perdidit, ad incitas redactus subulcum egit, & cum porcis furfures comedit: *Et postquam omnia consumasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cepit egere, & abiit, & adhesit uni civium regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos; & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Luca cap. 15. Quis gigas fortis hunc divitem robustum, adeo despoliavit? ad incitas redegit? fama, forma, valetudine privavit? suscitavit hæc, & plura alia, lasciva mulier: *Devoravit substantiam suam cum meretricibus.* Cum his Sironibus ludere, illudi est.

CONCEPTUS VII.

De Filiis Israel narrat liber Exodus cap. 32. postquam miraculosè traducti sunt per undas rubri maris, in deserto Arabiæ sivi mannâ recreantur: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Sunt, qui asserunt, hunc lusum obscœnum fuisse cum prostitutis fœminis, ut verbum ludere idem sonet, quod meretricari. Nicolaus de Lyra textum citatum ex Græco, loco *ludere*, legit *illudere*: *Surrexerunt illudere.* Discamus exhinc: lusum cum lascivo sexu, cum fœminis prostitutis, illusionem, infamiam, pudorem, dolum, ac deceptionem, ad quem sequi: testis est fortissimus Sampson; Dalila, lasciva tœmna, ah quàm nequiter sæpius amatori suo Sampsoni illudit! Illudit problema Philisteis indicans Judicum 14. Illudit, Sampsoni crines, in quibus ejus fortitudo latebat, abscindens, sicque viribus una spolians, amatorem suum hostibus tradidit interficiendum. cap. 16. Ergo cum fœminâ lascivâ ludere, est illudi, cum his nefandis lupis lætari, est tristari. Iterum probatur ex superius citato capite 32. Exodi.

CONCEPTUS VIII.

Moyſes & Joſue descendentes de monte cum caſtris appropinquäſſent, de ſtrepitu ac tumultu, qui in caſtris audiebatur, judicant; inquit Moyſes: *Vocem cantantium ego audio*; Joſue aliter judicat: *Ululatus pugna auditur in caſtris*. Sonum caſtrenſem, quem Moyſes cantum dicit, Joſue ululatum eſſe aſſerit: cur hoc? Cantus iſte ac luſus, ut ſuperiori Conceptu inſinuavimus, obſcenus erat, cum ſceminis laſcivis fiebat, talem meretricarium & laſcivum cantum, Joſue ululatum vocat: cum his enim lupis latari, adfert triftari, docente Salomone: *Extrema gaudii luſus occupat*. Concludit Naxera citatus: *Dulcis meretricis concentus, martiales producit audientibus ululatus*.

Hortor ergo unumquemque cum Sapientiffimo Prov. c. 6. *Epilogus.*
Conſerva Fili præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tue, ut custodiant te à muliere malâ, & à blandâ linguâ extraneâ, non concupiſcat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius. Et Prov. 7.v.25. *Longè fac ab eâ viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus.*

Amen.



IN FESTO S. MARIE
MAGDALENÆ.

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Mulier in Civitate peccatrix. Lucæ cap. 7.*

Thema. In scelerum Primicerios, Authores, & Capita, vel maximè excandescit Divina Justitia.

Exordium. **D**idacus Stella in caput 7. Lucæ verba Evangelistæ: *Ecce mulier in Civitate peccatrix: sic interpretatur: Ad alta & sublimia nos attentos habere conatur Evangelista: nimirum ut diligenter expendamus ingentem Dei liberalitatem, & copiosissimam misericordiam, ex qua tali famose mulieri, crimina sua ingentia condonavit, & indulgit; & quænam illa tam enormia, immania & insignia scelera, quæ maximam in Magdalena habuerunt turpitudinem, & gravitatem? dicit Evangelista: In Civitate peccatrix: In Civitate populosissima Jerosolyma, ubi tot, & tantis, luxuriæ fuit author, & principium, instrumentum, doctrix, & inductrix, maximam in Magdalena habuerunt turpitudinem, & criminis gravitatem; generaliter quidem DEUS odit & punit peccatum, in triplo vero averfatur peccati, ac sceleris authorem, inventorem, ducem, ac magistrum, omniumque primò tales quam severissimè punit, ac castigat. Audiamus textus: *Visitatio peccata Patrum in tertiam & quartam generationem. Scriptum est Numer. cap. 14. Va Genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filii sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemarunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultro.**

Textus Sacre Scripturae.

addentes pravaricationem: Omne caput languidum, & omne cor
 merens. Terra vestra deserta, Civitates vestrae succensae igni:
 Regionem vestram coram vobis alieni devorant. Isaia cap. 1.
 Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tene-
 bras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, &
 dulce in amarum. Va qui potentes estis ad bibendum vinum,
 & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificastis im-
 pium pro muneribus, & justitiam justis aufertis ab eo. Propter
 hoc sicut devorat stipulam ligna ignis, & calor flammae exurit,
 sic radix eorum sicut favilla erit, & germen eorum ut pulvis
 ascendet. Isaia cap. 5. Docuerunt enim linguam suam loqui
 mendacium, ut iniquè agerent laboraverunt &c. Nunquid su-
 per his non visitabo, dicit Dominus, aut in gente hujusmodi non
 ulciscetur anima mea? Super montes assumam fletum, ac lamen-
 tationem. Jeremia cap. 9. Libeat & SS. Patres percipere: Qui ^{SS. Patres,}
 verbo, aut exemplo suam iniquitatem in alios spargit, messis
 loco, vindictam recipiet, scribit Venerabilis Beda in c. 18. Mat- ^{Beda,}
 thei. Non impunè abiit, qui alicui causa fuit perditionis, in- ^{Tertullianus,}
 quit Tertullianus lib. de cultu scem. Peccata Majorum, Princi-
 pum secularium, & Prælatorum Ecclesie, præcipuè faciunt no- ^{Bellovacensis}
 men Dei blasphemari, docet Bellovacensis. Scire debent Præ-
 lati, quod si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni ^{S. Gregorius}
 sunt, quot ad suos subditos perditionis exempla mittunt. Com-
 minatur Magnus Gregorius 3. part. c. 1. adm. 9. Concludo
 cum S. Chryostomo hom. 25. ad Romanos: Igitur & tu quò- ^{S. Chryst.}
 que si reliquis perditionis causa fueris, graviora patieris, quam
 qui per te subversi sunt, neque enim peccare tantum in se per-
 ditionis habet, quantum, quod reliqui ad peccandum inducun-
 tur. Longè enim acriore animo ferre solet scelerum artifices, ^{Hai,}
 ac magistros. Inquit Hai in cap. 2. Apocalypf. Imploratâ S. Spi-
 ritus gratiâ Conceptus audiamus sequentes.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Nullus culparum maculis denigratus effugiet poenam, sed sceleris inventor duplicatam meretur multam, quando hic iniquo voluntatis erravit proposito, alii trahuntur exemplo. Et quidem sub quodam excusationis colore delinquit, qui magistrum erroris habet, at qui fabricatus est erroribus occasionem, dum ipsi adscribuntur infelices consequentiæ, & scelera non sine æquitate applicantur rigidæ poenæ. Perorat eleganter de morte suo doctissimus Naxera Comment. in Judices cap. 9. §. 3. Sichei Civitas experta est; Gedeone mortuo filii Israël in Ducem elegerunt Abimelechum, hoc inaudiens Jonathan, in Sichimitas maledicta congessit: *Egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichei.* Quærent Patres: Cur specialiter Jonathan Sichimitis imprecatus sit, eos diris, & flammis devoverit, cum constet omnem populum Israël Abimelech in Ducem assumplisse, ut super se regnet consensisse. *Regnavit Abimelech super Israel, tribus annis.* Abulensis quæst. 5. respondet: Omnino verum esse totum populum errasse, omnem Israël Abimelech in Ducem & Regem assumplisse, sed Sichimitæ omnem reliquum populum seduxerunt, & in suam sententiam pertraxerunt, erroris occasionem præbuerunt, dum Abimelech in Ducem & Principem elegerunt, & ejus votis favorerunt. Ergo præ cæteris incurrerunt maledicta, quia præ reliquis, erroris & seductionis existenterunt causa: Audiatur Abulensis: *Ipsi, (Sichimitæ inquam) fuerunt causa Principatus Abimelech, nam cum nullum adhibere favorem haberet, eum Regem constituerunt, & dederunt eo occasionem ad omnia mala, quæ fecit.* Suscepit postea Populus Abimelechum in Regem, verum hujus imperii infauissima primordia promanarunt à Sichimitis. Ergo quia sceleris probantur authores, cæterorum illis adscribuntur errata, & errorum etiam imponitur poena: *Egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichei.* Ductores, & Doctores ad scelera, graviter patientur tormenta. Patet in Cain fraticida.

(CON.

CONCEPTUS II.

Cain occidit fratrem suum Abel, adest divinus ultor, dupli-
 cæ pœnâ punit Cain: *Nunc igitur maledictus eris super ter-
 ram, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, va-
 gus & profugus eris super terram.* Genes. cap. 4. Persona
 Cain abjicitur, nunquam deficiente tumore, continuâ mentis
 anxietate punitur, simul omne opus & labor ejus damnatur,
 sterilis & vanus futurus prædicitur. Lege Divina Levitic. 24.
 homicidium morte puniebatur: *Qui occiderit hominem, morte
 moriatur.* Cain occidit hominem, & longè durius quàm mor-
 te punitur, in corpore, & animâ cruciatur, cur DEUS in Cain
 tam asperè animadvertit? Respondet Basilius Seleuci. Orat. 4.
Viam ad mortem aperuit. Primus humanum sanguinem fu-
 dit, homicidii Doctor fuit, inferre mortem aliis magister evasit.
 Author ergo quia homicidii fuit, Cain non simpliciter morte ca-
 stigatur, durius, imò duplex experitur supplicium, in corpore,
 & animâ, gravissima luit.

CONCEPTUS III.

In omnes hostes Israelis severè animadvertit DEUS, eos
 potestati ac Dominationi Judæorum subjiciens, superstites ta-
 men super terram reliquit, Amalecitas autem hostes Israelis
 præcipit DEUS funditus delere, ne unum de natione hac vult
 Deus residuum; imò & reculas, ac bona eorum ad hilum ut de-
 struantur, incinerentur, mandat: *Vade & percutite Amalec, &
 demolire universa ejus. Non parcas ei, & non concupiscas
 ex rebus ejus aliquid; sed interfice à viro usque ad mulie-
 rem, & parvulum, & lactentem, bovem & ovem, camelum
 & asinum.* Plures fuerunt hostes, qui itineranti populo impe-
 dimento fuerunt, tam severè nullum punit Deus præter Ama-
 lec, quæ causa? Scrutantur Doctores, exillimantque Amaleci-
 tas fuisse primos, qui bellum contra Israël adornaverunt, viam-
 que

que impediverunt, ergo oportuit in eo crimine primos, severiori poenâ mulctari, prorsusque deleri. Sic Abulens. quest. 2. *Aliquis respondebit, quod DEUS iussit hic de Amalecitis, & non de Cananais? quia magis peccaverunt Amaleciti, eò quod ipsi primi pugnaverunt contra Israel, quàm omnes alia Gentes, & in hoc dederunt occasionem cæteris pugnandi contra Israel, unde DEUS nimis comminatur eis, quia ipsi primi pugnaverunt, ut patet Num. 24. scilicet: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur, id est, prima de Gentibus, qua pugnavit contra Israel, fuit Amalec, ideò extrema eius perdentur. Remanere vetuit Amalecitarum vestigium, qui primi suo exemplo aliis exhibuerunt scandalum, nam qui in aliquo crimine auctore acrius accendit divinam viam, & graviolem sollicitat illi poenam,*

CONCEPTUS IV.

Plures erant, & socios habuit Saul, pergentes in Jerusalem fervire in Christi cultores; in via in solum Saulum cadit fulmen, sociis illæsis: *Et subito circumfulsit eum lux de celo, & cæcatus in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule! Saule! quid me persequeris? Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti.* Cur rectè Saulus fuit, cur non & socii, ejusdem criminis & persecutionis participes? Notate: Saulus Dux & auctor est persecutionis, contentus non erat Saulus in Christianos furere, socios ascivit, & alios stimulavit, ad persequendum Christianos impulit; Ergo dum persecutionis est auctor, præ cæteris dejicitur, castigatur; Est hic Conceptus S. Bernardi in allegoria Tilm. *Persequebatur eum, qui adversus corpus ejus, quod est Ecclesia, odio furebat iniquo. Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur eo graviolem sustinere persecutionem, qui suggestionem malevolæ, exemplo pernicioso, avertit ab eo animas, quam à Judæis, qui sanguinem illum fudit,*

CON-

CONCEPTUS V.

Erga fratres suos, Joseph se quàm maximè severum, austerum, ac durum erga Simeonem demonstravit: *Tollens Simeon, & ligans, illis presentibus iussit ministris, ut impleverent eorum saccos tritico.* Genes. 42. Certò, omnes fratres oderunt Joseph, in venditionem ejus consenserunt: *Cogitaverunt eum occidere, & mutuo loquebantur, ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Genes. 37. Si omnes fratres sunt in Josephum rei? cur solus Simeon ligatur, incarceratur? præ aliis durius à Joseph habetur? Philo in hunc locum causam allegat, subscribens: *Et fors maxima pars culpa in eo, Simeone inquam, fuerat, quasi auctore conspirationis nefaria, qui cohortem fratrum animaverit, & odium incitaverit.* Delinquent equidem omnes, at Simeon dum urget, dum fovet malum, præ cæteris debuit puniri, & tetro carcere detineri. O quàm vereri debent æterna vincula, qui perpetrands sceleribus auctoritatem suam commodant, qui improbo consilio odia exulcerant, qui in obscena innocentes inducunt, & peccare docent, qui Duces, auctores sunt iniquitatum, præ cæteris graviora sentient supplicia.

CONCEPTUS VI.

David inquit Psalmo 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Scitè, & acutè ait in hæc verba S. Hieronymus: *Rem novam videte, qui malum operatur, odio habetur, qui mendacium loquitur, perit.* Tripliciter peccatur cogitatione, verbo & opere, opere utique gravius, quàm verbo & cogitatione? ex Psalmo citato tamen gravius peccat, qui loquitur mendacium, cum gravius punitur, propterea penitus abjiciatur, perdatur, econtra qui operatur iniquitatem, odio solum habeatur, penitus tamen non abjiciatur: *Infelix quidem est, qui odio habetur à Domino, sed adhuc vivit,*

Pars II,

(P)

vit,

vit, qui autem loquitur mendacium, & perit, jam esse definit.
 Verba sunt S. Hieronymi. Et quomodo hoc, quòd Deus gravius
 puniat, qui loquitur mendacium, quàm qui operatur iniquita-
 tem? Advertit Niffenus Fer. 2. post Dominic. 1. Quadrag. §. 2. Lo-
 qui mendacium idem esse, ac docere mendacium; abominatur
 Dominus omnes, qui malè agunt, eos verò, qui loquuntur, do-
 cent alios malum, ut mendacium, & iniquitatem, perdit. Cer-
 to indicio; non esse genus aliud hominum, quod magis Deus ex-
 ècretur, acriore eum indignatione conficiat, ac destruat, quàm
 eorum, qui non contenti, quia ipsi sunt mali, alios quoque falli
 docent, & ad iniquitatem inducunt.

Epilogus.

Hortor ergò cum S. Paulo ad Romanos cap. 14. *Hoc cogi-
 tate magis, ne ponatis offendiculum fratri.* Et iterum 1. ad
 Corinth. cap. 10. *Sine offensione estote.*
 Amen.





IN FESTO S. MARIE
MAGDALENÆ.

CONCIO TERTIA.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Textus.

Luca 7.

Contritio, & dolor de peccatis, invenit Thema.
gratiam.



Or humanum molari lapide pressum depinxit Aca- Exordium.
demicus, symboli loco epigraphen subscribens: *Con-*
tritum placet. Contritum, inquam, cor super pec-
cata, de Deo summo bono offenso, placet Altissimo:
Psalmistæ confirmante: *Sacrificium Deo Spiritus con-* Textus Sacre
tribulatus, cor contritum, & humiliatum DEUS non despiciet. Scriptura.
Psal. 50. Et iterum Psal. 140. *Sanat contritos corde, & alligat*
contritiones eorum. In fletu veniet, & in misericordia reducam
eos, promittit aterna Veritas. Jeremiæ cap. 3. In animo con-
trito, suscipiamur à te Domine, scriptum est Danielis cap. 3.
Audiamus Patres: *Pœnitentia vera, non annorum numero cen-* Patres.
setur, sed amaritudine anime, quamvis sit exigui temporis, si
intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem, S. Augustin.
justum Deum, qui cordis secreta considerat, scribit S. Augusti-
nus Serm. 66. de temp. Et in Ps. 70. Propè est Dominus his,
qui obriverunt cor, cordis tritura pietas est, qui se conterit,
sibi irascitur, se habet iratum, ut habeat propitium Deum. Con-
solatè de contritione scribit S. Bernardinus tom. 1. Serm. 2. S. Bernardin
ar. 3. Dominus adveniente contritione sanat in anima pecca-

(P) 2

1014770

- torum vulnera. Conformiter S. Augustinus in Canticorum cap. 5. *Charitas est mors criminum.* Et in Psalmum 94. habet: *Omnes aqua non extinguunt unam scintillam in inferno, sed si una lachryma, de puro & contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit.* In eandem formam loquitur S. Bonaventura in Dom. infra octav. Epiph. *Contritio expellit peccatum de anima, contritio contra maculam, est expiatio, contra offensam est propitiatio. Contritio dicitur Spiritus vehemens, quia velut*
- S. Antonius. *sursum mentem, & vae aeternum adimit, docet S. Antonius Paduanus Serm. 2. in Dom. 1. Quadrag. Eleganter S. Gregorius hom. 33. Tantò amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Unde hortatur S. Chrysologus Serm. 94. Absolvi vis, ama; charitas, quae*
- S. Chrysolog. *est virtualiter contritio, cooperit multitudinem peccatorum, negationis crimine quid pejus, & tamen Petrus amore solo vult hoc delere, probante Domino, cum dicit: Petre, amas me? De contritione asserit S. Cyprianus lib. de laud. poenit. Omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Et S. Chrysostomus eodem titulo habet:*
- S. Chrysostomus. *O poenitentia, misericordia mater, magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos solvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Gutta lachrymarum contritarum cadit in terram, & venia delictorum descendit de caelo, habet Eucherius in lib. 2. Regum. Compunctio lachrymarum, remissio est peccatorum, quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lachrymis ad memoriam reducuntur. S. Bernardus de modo bene vivendi. Nullus à Deo peccatorum veniam dolenter optavit, qui non impetravit vocali lachrymarum silentio, ipse enim est, qui consolatur flentes, dolentes curat, poenitentes informat, Jane, sletus est contritio cordis, est animarum cibus electissimus, vitiorum macies, corroboratio sensuum, sanctitatis substantia,*
- Didacus ab
Celadon. *absol-*

absolutio peccatorum, Diaboli naufragium, refectio mentium, lacrum culparum, & delicosum Dei epulum, perorat Didacus de Celada Comment. in Ruth. cap. 1. §. 57. Dei gratiã imploratã Conceptus sequentur.

CONCEPTUS I.

David enormis peccator fatetur Psalmo 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: certò funes complexi sunt, dum commisit nefandum adulterium, crudele adimplevit innocentis homicidium, 2. Regum c. 12. enormiter peccavit David, superbè numerando populum suum. 2. Regum c. 24. *Dixitque David ad Joab, Principem exercitus sui, perambula omnes Tribus Israel à Dan usque ad Bersabee, & numera populum, ut sciam numerum ejus: & inventa sunt de Israel 80. millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Juda quinquaginta millia pugnatorum.* Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus, immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan usque Bersabee 70. millia virorum. Hunc numero David, Deus suscepit in gratiam, imò elegit in Sacerdotem: *Et dixi ei, ascende, & constitue Altare Domino in area Areuna Jebusei, & ascendit David juxta sermonem Gad, quem praeceperat ei Dominus.* Ambrosius quærit in Apolog. 1. c. 7. Quomodo qui nuper dignus erat supplicio, nunc sacrificium offerre sit jussus, & ascenderit sacerdotali quodammodo dignitate nobilitatus? *Dignus sacrificio judicatus est, qui absolutione estimabatur dignus.* Verba sunt S. Ambrosii. Quid David post tot grandia peccata, adeò acceptum Deo fecit? Advertite Rabbanum apud glossam: pro Area Areuna, quam David Deo construxerat, legere, *Aream Haram: &c.* Haram autem lux interpretatur, lux verò, & flamma, amorem erga Deum, qui amor virtualiter contritio est, significat: flamma amoris, ac contriti cordis super commissa peccata, fuit Altare, ac Sacrificium illud Deo acceptissimum, quod

(P) 3

David

David in gratiam integram restituit, in honorabile elevavit Sacerdotium. Fatetur hoc Serenissimus Rex Pf. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEUS non despicias.* Et Psalmo 55. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Audiatur Rabbanus: *Hornam lumen nobis, bene ergo David volens placare Dominum, altare jubetur in area Areuna, vel Horna, construere, quia aliter non placatur Deus homine, nisi in area cordis per lumen recta fidei, & vera dilectionis, constituat altare humilitatis.* Patet ulterius cordis contriti valor ex lib. 2. Regum cap. 19.

CONCEPTUS II.

Expulsus è Regno ac Throno David, in Regnum iterum introducitur per Tribum Judam: *Omnia Juda venit usque in Galgalam, ut occurreret Regi, & traduceret eum Jordanem.* Querunt Patres, cur præ aliis hæc Tribus Juda, Davidem Throno restituit? & trajectis Jordanis fluctibus, gaudia cumulavit? Nota glossa moralis, Judam significare confessionem, cor, inquam, super peccata contritum, per Judam significatur peccatum verè penitens, & ad bonum regimen vitæ suæ rediens, inquit Glossa Tribus Juda, contritio, cordis concussio super peccata commissa David, Dei gratiæ, & Regno, ac sceptro restituit. Quos à paradisi deliciis criminis exclusit reatus, revocavit, restituit iterum doloris gemitus. Testis sit filius prodigus, Lucæ cap. 15.

CONCEPTUS III.

Verè contritus revertitur filius prodigus, designant hæc submississima verba: *Pater peccavi in cælum, & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Hunc prodigum, insignem peccatoris figuram, benignus Pater, non quavis obvia veste, sed stola prima, vestiri imperat, ac annulo insigniri. *Cito proferte stolam primam, & induite illum.*

illum, & date annulum in manu ejus. Pro stola prima, legitur in Græco: *Stola primaria*. Quid hoc significat: quod rectè stola prima, primaria, veste pretiosissima, induatur, desuper annulus, qui superfluus videtur, in manu ejus imponatur? per stolam primam, primam gratiam, primam innocentiam significari, inquit Enodius: verè contritus, amans, & dolens, de offenso optimo patre revertitur hic filius, & stola prima, primaria, contritum vestiri imperat, ad significandum: per veram contritionem, & cordis dolorem super peccata, pœnitentem primam gratiam; primævam baptismi innocentiam recipere: & ut vult S. Hieronymus apud Tirinum hic, *gratiam habituales, cum omnibus habitibus supernaturalibus, contrito peccatori integram, imò novis incrementis auctam, restitui*. Concludit Enodius: *Ad stolam candidam, quasi semper servasset jussa, revocavit*. Annulus libertatis symbolum est, quæ est Spiritûs Sancti participatio, ac perfecta imago Dei: contritum ornat annulo, & designat; per contritionem ad libertatem filiorum Dei peccatorem devenire, gratias actuales, prævenientes, & cooperantes acquirere. Ita fufius citati Patres.

CONCEPTUS IV.

Placuit ter optimo Deo, populum Judæorum ex dura Ægypti regione, ac servitute in terram electam introducere, ad hoc intentum in Ducem elegit Moysen. Exodi 13. *Veni, & mitiam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto*. Cur Deus non potius Angelum in Ducem populi designat: cur rectè Moysen? causam allegat Abbas Cellensis: lib. de panibus cap. 12. docens: Moysen, *aquam* interpretari: aqua verò contritionis est symbolum: *Velut mare, contritio tua*: Thren. cap. 2. Berchorium audire libeat lib. 8. Reduct. cap. 11. num. 9. *Mare pœnitentiæ, est sui ipsius purgativum per contritionem, mortuorum scilicet peccatorum ejectivum per confessionem, & est fluxus fontium causativum, per lachrymarum redundantiam*. Moysen ergo, qui aquam significat, qui contritionem, cordis compun-

ctionem

tionem, & pœnitudinem figurat, Deus Ducem populi è servitu-
te in libertatem, & electam patriam ordinat, in doctrinam: pec-
catores, qui in servitute peccati tegunt, sub jugo tyrannico Dia-
boli, Duce contritione, cordis compunctione, quam aptissime è
servitute Dæmonis liberari, in gratiam Dei restitui; & sic in Pa-
triam electam cœli pervenire. Concludit Conceptum hunc Pe-
trus Cellensis: *Sathan tolerabilius sustinet flammam suam, quam*
lachrymam nostram, acriusque contriti cordis lachryma, quam
flamma infernalis incendiis, torquetur. Optimè S. Augustinus
in Ps. 101. *Audis hominem pœnitere peccatorum suorum, iam re-*
vixit, cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam
de sepulchro educus est. In mari pœnitentiæ & lachrymarum,
posuit Deus viam cœli. Hugo Cardin. in cap. 41. Isaïæ. *Cum*
lachryma effunditur, misericordia Dei superinfunditur, inquit
S. Paschasius lib. 11. in Matth.

CONCEPTUS V.

Judith illa Heroa contrivit Holofernem, tribulatæ Bethu-
liæ libertatem, & gratiam obtinuit: quæritis quo medio? dicit
sacer textus Judith cap. 9. *Tenuit pedes eorum abyssus, & aqua*
operuerunt eos, sic fiant & isti. Alludit Judith ad exterminium
Pharaonis, qui cum omni exercitu suo in aquis periit. Per aquas
filiis Israel, libertas, gratia, & chara patria obtigit; sic, inquam,
in aquis prædicit Judith interitum Assyriis, gratiam, & libertatem
Bethuliæ. Sed quomodo in aquis? cum ad guttam omnes aquas
circa Bethuliam exsiccaverint Assyrii: *Incidi præcepit aqua do-*
ctum illorum, & defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum
omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra Circuitu-
tem unde satiarentur vel una die, quoniam ad mensuram dabi-
tur populis aqua quotidie. Si tanta penuria aquæ fuit in Be-
thulia, quomodo ergo Judith audet prædicere, aquis hostem sub-
mersurum fore, aquis gratiam, & libertatem civibus obsessis,
eventuram? quæ hæ sunt aquæ & undæ? Hæ aquæ sunt contri-
torum

torum, ac poenitentium fletus & suspiria; audiatur Scriptura: *Factus est fletus & ululatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas unâ voce clamaverunt ad Deum dicentes: Peccavimus cum Patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus; tu, qui pius es, miserere nostri.* Judith cap. 7. Adest S. Ambrosius lib. de viduis: *In promptu sunt lachrymæ redemptrices, paratus est mæstiudini animi fletus oculorum, misericordiam conciliat, laborem minuit, dolorem allevat. Contritio super peccata, scelerum seriem submergit, anima pacem, & libertatem tribuit, dum quidquid in corde hominis malitia contaminavit, contritio verrit & radit, ac foras projicit, gratum pectoris domicilium superventuro Spiritui Sancto parat, quo se cælestibus bonis praevidit lubens inferat: perorat doctissimus Naxera Comment. in Judic. cap. 14. §. 24.*

CONCEPTUS VI.

Christus è benedicto suo latere duos fontes produxit, unum sanguinis, alterum aquæ: ita Joannes c. 19. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuè exiit sanguis, & aqua:* Prius sanguinem fudit, dein aquam: cur aquam post sanguinem? & quid hi duo fontes significant? respondet Laurentius Novarinus hom. de poenit. Per sanguinem ad rivum representatum fuisse mysterium nostræ redemptionis, per sanguinem in cruce profusum peccata anteriora Adæ, & sequentium deleta signantur. Per aquam à latere Christi profluentem indicatur, inquit Novarinus, inexpugnabile scutum lachrymarum: aquæ contritarum lachrymarum, meritis, effusi pretiosi sanguinis Christi, conjunctæ, omnia peccata actualia, & nunc commissa delent, gratiam Dei ex toto impetrant. *Contritio*, quam aquæ de latere Christi fluentes signant, pergit Novarinus, *est fons jugis & diuturna remissio:* peccator, qui hunc fontem, aquas contritionis adhibet, cumque fonte pretiosi sanguinis jungit, ac ungit, de remissione, gratia, & salute certus est. Eleganter hunc discursum conclu-

Pars II.

(Q)

dit

dit de contritione scribens S. Thomas à Villan. Conc. 4. in Dom.
 Quadrag. *Hec est illa aqua viva piscina, quam movet Angelus
 in corde per dolorem, in quam qui intrat per hujusmodi ma-
 tum sanatur, & mundatur ab omnibus infirmitatibus suis. Haec
 est illa virga Moysis, qua percussum mare concupiscentiarum ex-
 estuans, dividitur in divisiones, ut electi Dei sicco pede in ter-
 ram promissionis pertranseant.*

Epilogus.

Cum Psalmista hortor Psalmo 4. *Qua dicitis in cordibus
 vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Opto mihi & omni-
 bus votum S. Augustini lib. medit. cap. 35. *Fac me in conspectu
 tuo cor contritum, & humiliatum semper habere,
 cum lachrymarum abundantia.*

Amen.



IN FESTO

IN FESTO S. JACOBI
APOSTOLI.

CONCIO PRIMA.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, al- *Textus.*
ter ad sinistram in regno tuo. Matth. cap. 20.

Honores, & dignitatum gradus, curarum, *Thema.*
& laborum sunt ingentia onera, & pon-
dera.

Quoniam primè respondit Christus matri, honorum gradus pro *Exordium.*
filiis expetenti; *Nescitis quid petatis*: putant, qui ho-
nores expetunt, se in honoribus inventuros re-
quiem, non requiem, sed curam magnam, ingentes
labores invenient, non dulcia, sed amara, non læta,
sed tristia, non voluptates, sed cruciatus, eoque majores, quo
honoratiores fuerint, experientur. Expressit hoc ingenuosus
Academicus; honores & dignitates labyrintho comparando, cum
inscriptione: *Labor, intus*. Honores ac dignitates enim exterio-
re vultu quandam suavitatem mentiuntur, re ipsa molestissimos
labores afferunt. Audiamus Sacram Scripturam: *Qui voluerit* *Textus Sacrae*
inter vos major fieri, sit vester minister, inquit aeterna Sapientia. *Scripturae.*
Matth. 20. *Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata es,*
sed usque ad infernum demergeris. Lucæ cap. 10. *Quod homi-*
nibus altum est, abominatio est ante Deum. Lucæ 16. *Elevasti*
me, & quasi super ventum ponens elisisti me. Fatetur Job. cap.
30. *Et Christus asserit: Qui se exaltat, humiliabitur.* Lucæ
14. Audiamus Patres: *Eum nullum non laborem perferre oportet,* *SS. Patres.*
& ab omni vitæ commoditate separari, & somni quàm pau-
cissimi

(2) 2

cissimi

- Sinesius.* *cisfimi, sollicitudinum autem plurimarum esse participem, si quis Regis nomen non immeritò velit obtinere, scribit Sinesius Orat. de regno. Jacob Genes. 31. fateatur: Die noctuque astu urebor & gelu &c. Desuper Damianus ep. 4. Si ergò sic laboras, &*
- Damianus.* *vigilat, qui pascit oves Laban, quanto labori, quaque vigilia debet intendere, qui pascit oves Dei. Verissimè S. Gregorius lib. 17. moral. cap. 12. Quanto quis hic altius erigitur, tanto*
- S. Gregorius.* *curis gravioribus oneratur, eisque ipsis populis mente, & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate. Et iterum in Registro super illa verba: Dejecisti eos dum allevarentur, cum allevatur, dejicitur, qui honoribus proficit. Peroptimè scribit*
- Petrus Raven.* *Petrus Raven. in Serm. Honores sollicitudo inseparabiliter comitatur. Pompa mundi, & favor populi, fumus est, & aura subito evanescent, quæ si plerumque placeant, penitentiam inducunt, & si delectant ad modicum, productiore spatio displicebunt.*
- S. Chrysof.* *Coëgit (inquit S. Chrysofomus in cap. 2. Matth.) & perveritas mundi, & operatio inimici, honores ut videantur esse, & vera non sunt, præterquam ministeria. Omne quod supereminet, docet S. Isidorus lib. 3. de summo bono cap. 48. plus meroris afficitur, quàm honoribus gaudet. Tomas à Kempis concludit lib. 2. cap. 6. §. 2. Brevis gloria, quæ ab hominibus datur & accipitur, mundi gloriam semper comitatur tristitia. Imploratà Dei gratiâ desuper Conceptus pandam.*

CONCEPTUS I.

- Confirmatio.* Liber Judicum Apologum narrat c. 9. nempe cœtera sylvarum ligna, honores maximos, olivæ, ficui, ac viti detulisse: *Iverunt ligna, ut ungerent super se Rogem, dixeruntque Olive: impera nobis, quæ respondit; nunquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & Dii utuntur & homines, & venire, ut inter homines promovear. De oliva veniunt ad ficum, ficui honoris ac di-*

ac dignitatis titulos deferunt: *Dixerunt ligna ad arborem ficum, veni, & super nos regnum accipe, qua respondit eis; nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, & ire, ut inter caetera ligna promovear.* Tandem deveniunt ad vitem, hanc ad regium thronum, coronam, & sceptrum invitant. *Locuta sunt ligna ad vitem; veni, & impera nobis, qua respondit eis, nunquid possum deserere vinum meum, quod laetificat Deum & homines, & inter ligna caetera promoveri.* Notare libeat: Olivam, ficum, & vitem, promotionem ad honores, ad dignitates, vocare pinguedinis, dulcedinis, ac suavitatis defectionem, ac spoliationem; quomodo possum deserere meam pinguedinem, dicit oliva: quomodo possum deserere meam dulcedinem, respondit ficus; quomodo possum deserere vinum meum, quod laetificat, inquit vitis, & promoveri, honoris titulos assumere? Ecce honores, dignitatis, dulcedinis, laetitiae defectionem, privationem reputant, an bene? optimè & sapientissimè hæc irrationabilia concluderunt. Si enim per olivæ pinguedinem cum S. Ilidoro in Judic. cap. 6. *Gratiam Spiritus S. & unctio- nem pacis*, internam mentis & animi requiem intelligamus; hanc omnino perdit, hæc spoliatur, qui ad dignitates & honores elevatur. Si per ficus dulcedinem, ac fructus delicatos, cum Hugone Cardin. in lib. Judic. gustum illum ac consolationem, quam quis habet in devotione, & animæ spirituali exercitio; per vinum verò, laetitiam & hilaritatem conscientiae intelligimus: & hunc suavissimum gustum, & hanc animæ laetitiam perdit, privatur, quisquis dignitatis & honoris gradibus insignitur. Cessat in dignitatibus, pinguis pax & requies, cessat dulcis devotionum exercitatio, cessat hilaritas conscientiae. Eleganter in hanc materiam Cassiodorus 6. Vari. 12. *Assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates, dum imbecillitas humana citò solet sustinere fastidia, & quod prius ambisse creditur, postea vitare velle sentitur.* Sciatur, qui dignitatis lumina exambit, se vectigalem laboribus, & vigiliis futurum, dignitas, & subjectio commercium est. *Subjectio pendit reverentiam, & dignitas rependit curam.* Perorat quam præstantissimè Nazera Comment. in Judic. cap. 7. §. 8.

CONCEPTUS II.

Moyſes à Deo honoratus efficitur, Dux & Caput Judæorum conſtituitur; utique conſolatiſſimus erit Moyſes, lætabitur, congratulationes exambiet. Aliter ſcribit Moyſes Numer. cap. 11. *Cur afflixisti ſervum tuum, quare non invenio gratiam coram te, & cur impoſuiſti pondus populi hujus ſuper me.* Honorem, dignitatem adeptam, afflictionem mentis, periculum anime, magnum denique curarum, inquietudinum, anxietatum, pondus, ac onus nominat: Audiatur Abulentiſis quæſt. 29. *Cum quæ ad ſtatum regiminis extollitur, tantâ alienarum curarum mole premitur, quod ad ſeipſum vix redire poteſt, cum tuiſſima ſollicitudo, quæ jam pridem erga ſe impendebatur, nunc ad exteros adhibenda ſit.* De ſe hoc ipſum affirmat S. Gregorius initio Dialog. *Infelix animus meus nunc ex occasione cura paſtoraliſ ſecularium hominum negotia patitur, & poſt tam pulchram quietis ſua ſpeciem terreni actus pulvere ſædatur, cumque ſe pro condeſcenſione multorum ad exteriora ſparſerit, etiam cum interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit.* Veriſſimum eſt, omnis honor mundanus, aut exiguus eſt, aut nullus, cum ſit periculis, curis, & anxietatibus plenus.

CONCEPTUS III.

Primo Regum capite 10. miſit Samuel fortes, ex quibus acciperet, de qua Tribu eligendus eſſet Rex: Et inquit Scriptura: *Cecidit ſors ſuper Tribum Benjamin,* textus Hebraicus habet: *Et capta eſt Benjamin.* Tribus, de qua Saul in Regem augurandus venerat, dicitur *capta, vinculata, ligata,* & quomodo Tribus Benjamin capta, vinculata, ligata dicitur? quæ ſummo honoris titulo afficitur, dum de ea Saul in Regem, in dignitatem maximam aſſumitur? perque hanc regiam dignitatem tota Tribus Benjamin nobilitatur? ſi Tribus Benjamin per hunc actum, quia

quia ex ea Saul in Regem eligitur, summè honoratur, & nobilitatur, quomodo verum est, quod propterea hæc Tribus capta, ligata, vinculata dici possit? *Capta est Tribus Benjamin*: An honoris, & dignitatis gradus, libertati vincula quodammodo injiciunt, & ligant? ut non tam sibi, quàm aliis seruiat, in usus subditorum alligatus, quasi sclavus, & mancipium serviendo consumatur? ita subscribit magnus Augustinus epist. 39. de mundo, & honoribus ejus inquit: *Asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miserie, spem beatitudinis inanem.* Academicus honorem cinxit torque aurea, subscribens: *Ornat, sed & vinculat.* Desuper Gilibertus serm. 29. ait: *Qui ingreditur in pralationes, ingreditur in labores, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus.*

CONCEPTUS IV.

Cum Saulem fors Regem declarasset, latebras petiit, ut ne Regnum ac honores suscipere, cumque Dominum sciscitarentur ubinam delitesceret, responsum accipiunt: *Ecce absconditus est domi.* 1. Regum cap. 10. Hebraeus legit: *Absconditus est in vasis*: quæ sunt illa vasa, inter quæ clam cupiebat latere Saul? S. Cajetanus asserit; sarcinas populi fuisse, qui ad Regem eligendum eò convenerat, *inter sarcinas populi occultavit se Saul*, verba sunt citati Cardin. Cur inter sarcinas se abscondit? Sarcina onus est super dorsum, ad sarcinas se abscondit Saul Rex, indicans: hoc honore, hæc dignitate, non nisi onera, & gravissima pondera sibi imponi, & eum, qui aliis præest, magis onerari, quàm muneri onera portantium, natum ac destinatum, potiusque servitutem adire, quàm dominium. Audiatur desuper S. Laurentius Justinianus de Regim. Prælat. *Grande prorsus onus, negotium multarum vigiliarum, pavendumque ministerium, est regimen animarum.* Hoc ipsum Samuel per armum pro Saule reservatum indicare voluit.

CON-

CONCEPTUS V.

Saulem invitat Samuel ad prandium, designaturus citò ad honorem & imperium, & de industria reservat armum. *Lecturavit coquus armum, & posuit ante Saul, dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria reservatum est tibi.* 1. Regum cap. 9. Delicior, ac sapidior pars poterat reservari, hanc tamen Samuel de industria reponi mandavit: cur rectè armum reservavit? Armo, seu humero noscimus onera grandia deportari, armus supponitur humeri: armum reservavit Sauli Samuel, quem mox ad Regium honorem eleveret, ex armo desumat, cum honore & dignitate Regia, quasi magno onere humerum suum atterendum fore, pramonere voluit ipso ferculo, splendorem Regium esse laboribus associandum. Unde de Christo, Principum Idea, Isaias prædicit: *Factus est Principatus super humerum ejus.* Conceptum concludit Procopius, & Theodoretus in lib. 1. Regum cap. 9. *Hanc partem, armum inquam, Sauli apposuit, quemadmodum regnaturus & majora pericula, quam ipse populus subiturus erat, & propterea testimonium, hanc partem appellat.* Ita Procopius. Consonat Theodoretus: *Apposuit Samuel armum ante Saulem, in Regium indicium, nam sicut hæc, cum sint breviora aliis membris animalis, portant totam molem compacti corporis, & firmiter suffulciunt, ita etiam regium robur, etiamsi ad unum virum contrahatur, sustinet totum corpus Reipublicæ.* Egregia sunt verba Joannis Guillelmi lib. 1. antiquit. convival. cap. 33. *Quia cum armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret, se non ad jocum, ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima opera ferenda, ac sustinenda vocari.*

CONCEPTUS VI.

Corona, quæ Ammonitæ Regem suum coronabant, habebat *pondo auri talentum.* 2. Regum 12. id est, inquit Abulen-
quæ.

quasi. 27. *Habebat diadema istud unum talentum auri in pondere.* Talentum autem juxta Tirinum 1. Paralip. cap. 20. est pondo centum & viginti quinque librarum. Certè magnum ac grave onus, corona tam gravis, & ponderosa, & indicat: honores & dignitates unà secum, magnum, ac grave onus curarum, atque laborum deferre. Veritatem hanc expressit Academicus honorem, casse cristata exornatum pingendo, cum inscriptione: *Ornat, sed & onerat*: Ita omninò honores cum gravissimis oneribus, ac curis conjugium habent; ut adeò verissimè dixerit non-nemo: Honos, onus, & prima litera in honore est aspiratio, signum indicentis, pressi, afflicti, anxiati. Optimè cecinit Joannes Paschasius:

*Indue belligeræ pulchrum thorace Minervæ,
Ornat, & est oneri; sic quoque onustat ho-
nor.*

Verissimè scripsit S. Gregorius Papa lib. 17. moral. cap. 12. *Quando quis hic altius erigitur, tantò curis gravioribus oneratur, eisquè ipsis populis, mente, & cogitatione supponitur, quibus superimponitur dignitate.* Agnoverunt hoc summi Pontifices, maximi Imperatores: Carolus V. Bruxellis Principatum Belgii in filium suum Philippum secundum deponens, cum lachrymis dicebat: *O fili! magnum tibi onus impono.* Urbanus septimus, quoties amiculum è subtili tela superinduebat, alto pectore ingemiscebat: Quis crederet sub tam subtili sindone, tantum ponderis delitescere. Honores, & dignitates quot afferunt splendores, tot ferunt amarissimas anxietates; has extimuit prudenter David.

CONCEPTUS VII.

Servi Regis Achis Davidem miris laudibus commendant, commendatum honorant: *Nunquid non est iste David Rex terra, nonnè huic cantabant per choros dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Regum 18. Super hoc honore exhibito

Pars II.

(R.)

hibito

hibito David timuit: *Posuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valdè à facie Achis Regis Geth.* Si retulissent hi servi Regis Achis, Davidem terram eorum inquietasse, incinerasse urbes, interimisse subditos, insignique contumelia Gethios affecisse, nihil mirum pavido metu percelleretur, aliter propter decantatos honorum titulos, quod David prudenter timeat, non invenio; cur ergò, cum David honoratur titulo victoris & Regis, sibi timet, & pavet? Lyra respondet: Expertus erat David quantum calamitatum sibi causaverit honor decantatus: *Procuravit David decem millia*, ab hoc enim die non rectis oculis David amplius aspiciebat Rex Saul, sed omni modo innocentem persequeretur, ut in montium antris, & cavernis profugus saltem quæreretur; cum ergo David iteratò audit à servis Achis honorum titulos sibi decantari, prudenter timet, ne & pericula, odia, ac persecutiones, & mille mentis adversitates, anxietates animi, corporis gravamina, etiam à Rege Achis reiterentur. Ita Lyra: *Hec dicebant*, (nempe honorabant David regio titulo) *ut Achis eum occideret.* Discamus exindè, honore, dignitate eminere, est periculis implicari.

Epilogram.

Honores ergò ac mundi dignitates, tam arduis curis sollicitas, ne quæramus, verissimè scripsit Thomas Kempensis lib. 2. cap. 6. §. 2. *Brevis gloria, quæ ab hominibus datur, mundi gloriam semper tristitia comitatur, honorum gloria, in conscientis eorum, & non in ore hominum.*

Amen.





IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

CONCIO SECUNDA.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, al- Textus.
ter ad sinistram in regno tuo. Matth. cap. 20.

Cupiditas, desiderium terrenarum rerum, Thema.
vinculat, illaqueat, nocet.

Cupiditatem, & affectum profluxis, caducis ac terre- Exordium.
nis rebus, ut sunt honores, voluptates, divitiæ &c.
Academicus visco comparat, cum inscriptione: *Ligat,*
& *vinculat.* Virgula viscata aviculam implicat, li-
gat, & lstringit; sic cupiditates nimix pro terrenis & transitoriis,
ligant generosum animum, quo minus virtutibus indulgeat, ne-
scio quibus sceleribus succumbat. Audiamus Scripturam: *Qui*
volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Textus Sacrae
Diaboli. 1. ad Timo. cap. 6. *Radix omnium malorum est cupidi-* Scripturae.
tas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt
se doloribus multis: concionatur Paulus cap. eodem: Unde
bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, qua
militant in membris vestris, prædicat S. Jacobus cap. 4. Multos
perdidit aurum, & argentum, & usque ad cor Regum extendit,
& convertit. Eccles. 11. Audiamus Patres: Semper cupidi sol- SS. Patres.
liciti sunt acquirere non habita, & habita custodire, docet S. Tho- S. Thomas
mas opus. 7. Cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis Aquin. a.
omnibus demonstratur, docet S. Gregorius hom. 15. Moralium. S. Gregorius
Et iterum lib. 7. ep. c. 16. Quanto acriore cura inardescit ad in-

(R) 2

firma,

- fima, tantò tempore damnabili refrigescit à summis, utraque enim simul & equaliter amari non possunt. Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis, volvitur, laniatur, affligitur, habet Sanctus Ambrosius lib. de viciis. Omnium malorum radix est cupiditas: transgressionis mater, magistristra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiae, sicaria virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum; tradit Petrus Ravenn. in Serm. Obligata anima, amore terreno, quasi viscum.*
- S. Augustin. habet in pennis, volare non potest, inquit S. Augustinus in Psal. 121. Amor enim temporalium, viscus est alarum spiritualium, fatetur Hugo Cardin. in cap. i. Prov. Divitiarum amor inflatiblis, longè amplius torquet animam, quàm refrigeret usum san-*
- S. Bernardus, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plenus doloris invenitur; ita S. Bernardus in quodam Sermone. Qui pecunie servit, & presentibus compedibus constringitur, & futuris paratur, prædicat S. Chrysostomus hom. 9. super Mattheum. S. Spiritus imploratâ gratiâ, desuper Conceptus auditur.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Jeremias prophetat cap. i. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Cur rectè ab Aquilone? An non malum venit ab oriente, & occidente, & à meridie? Primum malum ruinæ humani generis ab oriente processit, ex oriente, & à meridie detestandus Idololatriæ cultus originem ducit: quomodo ergo ab Aquilone processit omne malum? an fors cupiditas pro terrenis, & conductis mundi rebus ab Aquilone provenit? exque cupiditatis origine & fonte omnia mala mortali generi profluunt? sic assentitur cupiditatum magister Lucifer Isa. 14. *Sedebo in lateribus Aquilonis.* Et Job 37. habet: *Ab Aquilone aurum venit.* Si aurum, ergo & auri, & divitiarum cupiditas, & affectus, ex quo omne vitium, perque hoc homini omne malum provenit, addo ut si alia vitia laquei sunt Dæmonis, quibus mortales involvit, ligat, ac vinculat; cupiditas, inordinatus affectus, pro terrenis

ac hu

ac fluxis divitiis, dignitatibus, & officiis, generale instrumentum est ad omnem miseriam, lapsum, & ruinam, ac finalem interitum homines introducendi. *Ubi aurum placet, ibi & vitium*, inquit Sanctus Gregorius lib. 2. Regum, ep. 216. Verissime S. Jacobus Apostolus c. 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.*

CONCEPTUS II.

Absoloni Capilli exstiterunt funis, quo in quercu infamis pependit. 2. Regum 18. Cur crines instrumentum interitus fuerunt? Hugo Cardinal. in cap. 5. Ezechielis per crines, ut aliquid superflui in corpore humano, intelligit, bona temporalia, divitias, honores, & dignitates, erga hæc & has inordinatum affectum, & cupiditatem in corde suo fovit Absolon, patet ex lib. 2. Regum cap. 14. *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* O cupiditas, & auri fames! Absolon & capillos pro auro venales exposuit. Cupiditas regnandi proch quanta arsit in corde Absolonis! *Dicebat Absolon, quis me constituat Judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & justè judicem; sed & cum accederet ad eum homo, ut saluaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum, faciebatque hoc omni Israeli venienti ad iudicium, ut audirentur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israel.* 2. Regum 15. Cupiditas hæc, & inordinatus affectus, pro fluxis auri divitiis, pro dignitate regia, exstiterunt Absoloni fatalis laqueus ad interitum.

CONCEPTUS III.

Liber Genesis cap. 40. narrat, Pharaonem Regem, Pincernam & pistorem ad vincula, & carceres condemnatis, ex
(R) 3 vincu-

vinculis & carcere liberatur Pincerna, & in gratiam Regis rediit, infelix Pistor, ad furcam adjudicatus, interiit. *Ego enim redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce.* Quæ causâ subeît, quòd Pincerna sit redditus officio suo, Pistor verò suspensus sit? Observat Mansius Tract. 8. disc. 16. n. 8. Pincernam tale exercuisse munus, in quo manus suas minime coinquinaret, siquidem acceptum cyathum disco imponebat, vinumque infusum Regi bibendum porrigebat, quæ omnia sine manuum suarum inquinacione facillimè facere poterat; Pistor econtra farina, quam manibus tractat, eas undique farina conspersas, & infectas retinebat: symbolum hic Pistor eorum hominum est, qui terrenis rebus immerfi vivunt, iisque accumulandis continuò student, divitias & opes, honores & dignitates inordinatè concupiscunt, tales cupidi fatale exitium vix evadent; huc faciunt verba Alberti Magni in Psal. 61. *Habere non damno, sed affectum ponere in illis reprobo, hoc enim est, quod divites reprobos efficit.*

CONCEPTUS IV.

De Pharaone notum est, quòd eum Dominus DEUS in rubro mari submerserit, Exodi 14. sic describitur: *Reversaque sunt aqua, & involvit eum Dominus in mediis fluctibus.* Pura hîc considerare veniunt: Primò: Rex Pharaon mare, ac manifestum vitæ periculum ingressus est, in hoc mari quasi in carcere DEUS inclusit Pharaonem, fluctibus, quasi vinculis constrinxit, cur hæc omnia Regi eveniunt? Advertite: Pharaonem cupiditati suæ, affectui ad res, & thesauros Judæorum nimium indulgisse: *Persequar*, ait Exodi 15. *comprehendam, & dividam spolia*: Pharaon nimium anhelans, & cupidus thesauris Judæorum acquirendis; ab hac cupiditate adeò excœcatur, ut mare rubrum, manifestum vitæ periculum ingressus, corpus, & animam ruinæ exposuerit: *Involvit eum in mediis fluctibus*: Involvit: quasi catenis strinxit, carcere captivavit, terrenis nimium inhiantem, ad indicandum: cupiditatem pro terrenis.

renis, animum cupidi, captivare, curis & anxietatibus vinculare; tandem & in mari submersit Pharaonem, cur non igne concremavit blasphemum, cur eum submersit, & quidem in mari? mari quid inquietius, quid salius? submersit ergo in mari inquieto, & falso cupidum Pharaonem, discamus: cupiditatem inordinatam pro terrenis, & caducis rebus, pro divitiis, & dignitatibus, ut inquietum mare, turbare, inquietare mentem cupidi, indeficientibus curis, & anxietatibus, suspicionibus, timoribus animum cupidi salire. Ita concludit Anonymus: *Cupido pro terrenis est, que corrumpit animas, excæcat oculorum pupillas, manus catenis constringit, generosa sibi corda subjugat.*

CONCEPTUS V.

Dum Jacob, incio Laban, cum omnibus suis reculis charam patriam repetivisset, ecce iratus Laban proficiscentes armatâ manu insequitur: intrepidus consistit Jacob, Lya minime expavescit, sola Rachel advenientem Patrem extremè timet, ac infirmitatem fingit: *Ne irascatur Dominus meus, quod coram te assurgere nequeo, quoniam juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi.* Genes. cap. 31. Cur timet sola Rachel, cur hæc anxiatur, turbatur, & inquietatur? Rachel nimium terrenis inhâbat, pro fluxis, & caducis divitiis anxia, & rea erat, & *Rachel furata est Idola patris sui.* S. Gregorius in Glossam, per Idola, quæ aurea, & argentea fuerunt, cupiditatem pro terrenis intelligit; cupida nimium, & terrenis divitiis addicta Rachel, sola timet, sola tremet, & inquietatur. In exemplum: Cupidi terrenarum, anxii sunt semper, incessanter timent, diu noctuque à curis, & sollicitudinibus perturbantur, temporaliter infelices sunt, & æternum reprobati. Ita concludit Conceptum hunc S. Cyprianus epist. 2. ad Donatum: *Est enim discrimen cum ipsa cupiditate concarnatum, qui cupit, adversarios sustinebit, & pericula subibit. Quibus argenti & auri maximum pondus, hos etiam inter divi.*

divitias suas trepidos cogitationis interna sollicitudo diseruiat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque lacupletioris invidia calumniosis litibus inquietet; non cibus securo somnusque contingit. Suspirat ille in convivio, licet bibat in gemma; & cum epulis marcidum corpus, thorus melior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia auro se illigatum teneri, & possideri magis, quam possidere divitias, atque opes.

CONCEPTUS VI.

Gedeon jubetur viros suos bellatores ducere ad profluentem; hinc frigidam sumant, & bibant; *Duc eos ad aquas, & ibi proba illos &c. cumque descendisset populus ad aquas, dicit Dominus ad Gedeon, qui manu & lingua lamberint aquas, sicut solent cæves lambrere, separabis eos seorsim, qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt; fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente aquas lambrant, trecenti viri, omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* Judicum cap. 7. Ex hoc textu liquet, DEUM illos viros, qui aquas lambrant, assumpsisse, ac fortem victoriam in manibus tradidisse, eos verò, qui in ventrem projecti plenis buccis aquas hauserunt, rejecisse, exosos habuisse; cur hi rejecti sunt? Tyrannus hic per aquas intelligit bona temporalia, opes & divitias, per eos, qui biberunt, manu aquam ad os levantes, vult significari homines, qui de bonis hujus mundi accipiunt, quantum eis sufficit ad necessitatem, & tantum Deus indulget liberaliter. Per illos autem, qui biberant aquas in terram prostrati, fauces planè in profluentem immergentes, intelligit Tyrannus homines pro terrenis bonis acquirendis, nimium cupidos & intentos, & tales rejicit Deus minus aptos ad regnum cælorum acquirendum, ad salutem æternam adipiscendam; concludit Conceptum hunc S. Bernardinus hom. 4. ferm. 16. part. 1. *In Paradiso ignoratur nomen amatoris mundi, ac divitiarum.*

CON.

CONCEPTUS VII.

Vir Levites à Jebus, seu Jerusalem, perrexit in Gabaa, in Jebus Sol ei splenderit, in Gabaa lumen totaliter occidit. *Occubuitque eis Sol juxta Gabaa.* Judicum 19. Cur rectè juxta Gabaa Sol occubuit? Lumen occidit? Simon à Cassia lib. 3. cap. 10. docet; Jerusalem seu Jebus idem sonare, quod *Justitiam*, seu *Virtutem*. Gabaa verò doctissimus Naxera hic *cupiditatis emporium* intitulat: Levites, in Jebus, in Justitia, in virtute, & pietate gradiens, Solis lumine fruebatur; in Gabaa deveniens, in cupiditatis emporium, lumine & sole destituitur; documentum: Cupiditatis negotiis impensus, terrenarum rerum affectu submersus, lumen gratiæ divinæ amittit, in tenebris perturbationum vadit, in præcipitium ruit, & in interitum graditur. Eruit sensum hunc Hugo Cardin. *Hic notabile est, quod transeunte Jebus occubuit Sol, sic transeunti penitentiam, & appetenti (dignitates & divitias inquam) occumbit Sol Justitiæ, quia dum terrena appetuntur, & cupidè anhelantur, gratia minuitur, vel penitus amittitur.*

CONCEPTUS VIII.

S. Augustinus in cap. 15. Genesis observat: Deum arboribus non æquè ut aliis plantis benedixisse; cur quæso à benedictione speciali divinæ bonitatis arbores exclusæ sunt? causalem eruit citatus Sanctus: Arbores quot filiis, & radicibus, tot quasi manibus & digitis terram amplexantur, ac stringunt, terræ inhærent, ac propterea benedictione DEI carent; Terra sunt omnia terrena, ut opes, divitiæ, honores, ac dignitates; Sacra Scriptura hominem arbori comparat, Psal. 1. *Et*

Pars II.

(S)

erit

erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Qui nunc homo, omnimodè ut arbor terræ inhaeret, terram amplectatur, ac stringit, cupidissimè, cogitationibus, & affectibus terrena appetit, divitiis, opibus, honoribus, servis importantibus inhiat, & hic benedictione Dei temporaliter, & æternum carebit. Concludit quàm aptissimè S. Gregorius hom. 15. Moralium: Cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis omnibus demonstratur.

Hortor ergò cum Ecclesiastico cap. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas. Bonorum Authori enim aliter inhaerere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, qua omnium malorum radix est, abscindamus,* hortatur S. Gregorius in homil. *Relinque ergò, hortor cum Thoma Kempense lib. 3. cap. 32. §. 3. relinque cupidinem, & invenies requiem.*
Amen.



IN FESTO

IN FESTO S. JACOBI
APOSTOLI.

CONCIO TERTIA.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, al- Textus.
ter ad sinistram in regno tuo. *Matth. cap. 20.*

Fomenta, blandimenta, nimius amor, & Theua.
conniventia matrum, liberorum est ex-
itium.

DE Simia docet Philosophorum Princeps lib. 8. cap. 54. Exordium.
*Simiarum generi precipua erga sœtum affectio, ita-
que magna ex parte stringendo necant. Academi-
cus inscribit Lemma: Perdit amando: Sic parentes,
matres præcipuè, liberos suos nimium amando, per-
dunt, blandiendo, indulgendo, connivendo, necant. Audiatur*
S. Scriptura: *Lacta filium, & parentem te faciet, lude cum eo, & contristabit te, non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo* Textus S. Scriptura.
obstupescant dentes tui. Eccles. cap. 30. Confusio Patris est, de
filio indisciplinato. Idem cap. 22. Et Proverb. 13. Qui parcit
virgæ, odit filium suum. Et iterum 29. Puer, qui dimittitur
voluntati suæ, confundit matrem suam. Libeat & Patres per-
cipere. Debent filii Parentes timere, quod ut efficere possint, Patres.
Pater diligentia sollicita observabit, ne dissoluta letitia ex inor- S. Bernardi-
nus Senens.
dinato affectu conversetur cum illis, cum jam grandiusculi sunt,
sed verenda maturitate, & timoroso amore, ac gravitate discre-
ta, & exemplari, semper sit ante eos. Insolentes enim solent
(S) 2 fieri

- fieri filii, ex nimia letitia, & levitate parentum, perduntque erga eos reverentiam, & timorem. Docet omnes Parentes S. Bernardinus in Feriam 4. Quadrages. Dom. 3. ar. 2. cap. 2. Clare S. Augustinus in Psalm. 50. Valde perniciosè sentiet filium
- S. Augustin. Patris lenitatem, ut postea justè sentiat Dei severitatem. Quia Patres moderationem negligunt, liberorum suorum sunt interfectores, atque adeò illis crudeliores, quod ad interitum, & mortem animæ, hæc res tendat; hos Patres parricidis ipsis immaniores sceleratiorisque dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti corpus & animam æternis ignibus tradunt, scribit S. Chrysostomus tom. 6. hom. 27. Egregiè Parentes instruit S. Gregorius part. 2. cap. 11. Miscenda est lenitas cum severitate, sed pietas, sed non plus, quam expediat. Et iterum lib. 3. adversus vitup. Monast. vitæ: Nulla alia ratione perversè ut sint filii contingit, nisi quod eorum Parentes circa vitæ presentis commoda, equo amplius incumbunt, & ferè dixerim insanunt; cum enim ista solummodò inquirunt, nihilque illis præferendam censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur.
- Origenes. Origenes lib. 2. in Job scribit: Parentes, qui non erudierint, neque corripuerint filios, hi filiorum animas inextinguibili igni in interitum tradunt, & semetipsos in furorem judicii demergunt. Verissimum est, quod docet Joannes Casus in Theol. œconomica lib. 2. cap. 2. Mitiores & nimis indulgentes Patres, filios suos vanissimâ quadam libertate perdunt, præpostere nimis licentiam hanc illis indulgentes. Ut enim terra prius ligone, & aratro discinditur, quàm optimam messem, & fructus uberes præferat: ita tenella, & nova puerorum ingenia, primum ferro & freno severæ disciplinæ sunt informanda; aliter nimis dulci veneno quasi prægustato, lenitas illa parentum in filiorum licentiam, risus in luctum, solamen in discrimen, indulgentia in perniciem & ruinam miserrimè prolabetur. Et iterum apud hist. Polon. Tam cæcæ ac imprudens esse solet parentum, ma-

xième matrum in liberos amor, tam impotens charitas, ut cum illis omnia felicia evenire cupiant, nimiam indulgentiam teneram eorundem aetatem corrumpant, emolliant, & in reliquam vitam efferam, & imbecillam reddant, & plerumque fit, ut ea de causa, & se, & liberos suos, in miseras, animi molestias & angustias, quas postea utique dolenter ferunt, conjiciant. Implorata DEI gratia, desuper Conceptus audiamus.

CONCEPTUS I.

Liber Genes. cap. 34. habet, Dynam adolescentulam incaute prodiisse in campos & agros, ubi à Sichem comprehensa, deflorata, virginitatis & pudicitiae jacturam fecit: *Egressa est Dyna filia Lya, ut videret mulieres regionis illius, quam cum vidisset Sichem, filius Emor, Princeps terrae illius, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.* Curiositas, vitae licentia, morum dissolutio, videtur esse causalis lapsus Dynae: unde Dyna tam dissoluta, laxa, & licentiosa? Sacer textus insinuare videtur causalem, signanter notans, Dynam fuisse filiam Lya: *Egressa est Dyna, filia Lya*, ergo in Lya matrem Dynae filiae dissolutio, licentia vitae, profusior, ac culpabilis curiositas conjicitur; sed cur in Lya? advertere libeat, quid Scriptura de Lya matre Dynae memoret Genes. 29. *Lya lippis erat oculis*: quasi dicat; caeca erat Lya, mater Dynae, caeca nimio amore, connivebat filiae suae Dynae, profusioris vitae licentiam indulgit, & ad libitum excurrere, conversari: Matris ergo nimia conniventia, & indulgentia causa fuit turpissimi lapsus, damni perpeffi, perditii honoris & famae. Exemplum, matres, si in cura prolium maxime filiarum lippae, & caecae sunt, prolibus blandiuntur, connivent, indulgentque quaecunque volunt, placent, libent, desiderant, non considerant, aut curant, quibuscum familiariter agunt, non inhibent confortia, munuscula suspecta non interdunt, vanitates non arguunt, dissolutos mores non corrigunt, occasiones non abscindunt, causa sunt, quod filias etiam in vita sua adhuc meretrices, & scorta, filios fures & patibularios videre de-

(S) 3

beant.

beant. Quam verè S. Augustinus: *Valdè perniciosè sentiet filium & filia, patris & matris lenitatem, & postea justa sententia Dei severitatem.*

CONCEPTUS II.

Insolens quidam juvenis blasphemavit nomen Domini, Levitic. cap. 24. *Cumque blasphemasset nomen Domini, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen.* Moyses super criminis gravitatem examen instituit; ad hoc examen utriusque blasphemator ipse, nequam hic adolescens advocatur, ac sistitur? narrat testis, non tam adolescentem hunc, quam matrem ejus Moysen coram se citasse, & examinasse. *Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dobri, de Tribu Dan.* Cur, ob blasphemiam filii mater ejus ad iudicium citatur? An fors mater in causa est, quod filius blasphemaverit? quod infami morte sit puniendus? Sic est, mater citatur ob crimen filii ad iudicium; Hebræa erat mater, ad observantiam, & reverentiam Numinis & nominis filium adducere debuisset, stulto amore insolentias filii connivebat, filium licet malum, tamen fovebat, scelera non corripibat, vitia non arguebat, sistitur ergo ad iudicium mater, palam fit ejus nomen, & familia à Spiritu Sancto, ad parentum terrorem, ut noscant, quod ex amore nimio vitia prolium suarum terrorem, ut noscant, fiant scelerum rei, matrum indiscretus amor proles in ruinam, in infamiam vitæ, in capitale supplicium, animæ, corporisque interitum deducat.

CONCEPTUS III.

Michas de monte Ephraim, non tantum Idololatra, sed & Idololatriæ Sacerdos, ut legitur Judic. cap. 17. Quomodo hic Michas tam sceleratus est effectus, oblitus veri Numinis, sculpsit & Idola non tantum adoravit, imò Sacerdos Idololatriæ, ritum gentilium Idolis thus adolevit, sacrificia immolavit? an fors societate mala seductus in tantum scelus prolapsus est? societate caruit,

caruit, solitarius in monte Ephraim morabatur, quo medio ergo Idololatra, sceleris tam horreni Sacerdos, & magister factus est? Medium indicat sacer textus, estque nimia indulgentia matris: *Conseruari, & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile, atque constatile, & nunc trado illud tibi. Implevit unius filiorum suorum manus, & factus est ei Sacerdos.* Ex verbis citatis quis nimiam indulgentiam, conniventiam, & amorem matris erga filium, non cognoscit, cum nummis & pecuniis (quæ pestis & exitium in manu sunt juvenum) ambas manus filii adimpleverit, sicque occasionem non absiderit, sed præbuerit, ad omnia nefanda instituenda, & perpetranda. Matrum ergo indulgentia, amor & favor, ex quo filiis & filiabus nummos largiuntur, consortia admittunt; occasiones præbent ad luxum, & luxuriam, ad vitam luridissimam, ad scelera nefanda, ad Deum, & fidem abnegandam; suntque causa ut corpus & animam æternum perdant. Præclare Plutarchus de institut. liber. *Natura dotem labefactat socordia, solum bonum ferax est, sed squalet neglectum, atque quo est indole præstantiore, eo magis per inertiam destitutum cultura senescit, in quod horridius justo est, & asperius.*

CONCEPTUS IV.

Filii Heli dicuntur filii Belial, nescientes Deum &c. *Et erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* 1. Regum cap. 2. Summus Sacerdos erat Heli, de quo nulla iniquitas ac scelerum immanitas memoratur, quomodo ergo filii ejus à Patris virtute adeo defecerunt, filii Belial, filii Diaboli, sceleratissimi mortalium, fures, & adulteri effecti sunt? Causa tantæ filiorum malitiæ, ac ruinæ animarum, est parentis Heli nimia lenitas, conniventia, & indulgentia: ita Scriptura: *Heli autem erat senex, & audivit omnia, que faciebant filii sui universo Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, que observabant ad ostium Tabernaculi.* Quid ad hæc nefanda facit pater Heli? utique carceri ne-

bulo-

bulones tradit, vinculis onerat, scutica corrigit, fame & siti castigat? talis severa correctio expediebat, ast pater Heli eam benignitate correxit, ut potius videretur licentiam dare, quam inhibere: *Dixit eis: quare facitis res hujusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo: nolite filii mei, non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini.* Ecce quam blandus sit pater Heli, quantum palpet, quantum conniveat, dissimulet? egebat lues duro cauterio, ferro procedente, & usus est Heli medicamentis blandissimis; ergo dum adlatur tenero amori, miserandæ tam suæ, quam filiorum suffragatur calamitati. Ita S. Chrysostomus in lib. 1. Regum c. 2. *Quo intempestivè filiis parceret, & suam, & illorum salutem perdidit.* Ipsi enim scelerati filii, ambo in prælio ceciderunt inglorii, Pater Heli cervicem fregit, & expiravit. Nil filiis deterius, quam indulgentia parentum, nil parentibus infelicius, quam tolerantia, conniventia; cæcus parentum amor dum indulgentius filios educat, dum blandius eorum pullulantia vitia dissimulat, imprudenter sibi & filiis infelicitatem advocat.

CONCEPTUS V.

Legem statuit Altissimus in veteri Lege Lev. 22. *Bos, ovis, & capra cum geniti fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ, die octavo, & deinceps offerri poterunt.* Cur ovis, symbolum electi, statuet oves à dextris, Matth. 25. tamen, quamdiu ab uberibus matris pendet, offerri Domino, rejicitur? Per ubera an non blandimenta materna, profusorem licentiam, ad metas voluptates, & læticias ansam, rectè intelligo? Ubi mater proles suas tantum ab uberibus pendentes habet, mera suavia, dulcia propinat, quidquid petunt proles, quidquid volunt, desiderant, admittit, omnes eis lusus, & mundana gaudia concedit, omne consortium indulget, proch dolor! tales filii & filiaë victima Deo futura rejicitur, quia non ovis, sed hædus in futurum prævidetur, non DEO, sed Diabolo, non cælo, sed orco aliquando litandi. Huc collimant verba Radulphi in allegor. Tilmann. Qui

Qui, quamdiu vitam istam, qua septem diebus agitur, solum diligimus, solum pascimur uberibus carnis, præter cuius voluptates nihil appetimus, toto hoc tempore offerri non possumus, respuit enim ipse huiusmodi oblationem, testante Apostolo: Quia, qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

CONCEPTUS VI.

Memorat Sacra Scriptura 4. Regum cap. 4 Puerum illum, qui per preces Elisæi impetratus est, in sinu matris suæ exspirasse. *Posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, & mortuus est.* Non frustra indicat Sacra Scriptura, super genua materna, in sinu, inquam, matris exspirasse, & interiisse: quid enim sinus maternus, nisi matrum amorosæ blanditiæ, licentiæ nimix, ac conniventia erga liberos; divagari permittitur puer etiam in maximo solis ardore, juvenis domum egreditur dum non deberet, permissus affectibus indulget infans, tabescit, & perit: ni mater filio blandita eum egredi permisisset, ni pater dissimulasset, immatura mors puerum non raperet, nec anxios parentibus gemitus, & cruciatus afferret, gravior erat parentibus dolor, mortem non tam adversâ forte, quàm indulgentiâ nimiam elaboratam, & calamitatem degeneri amore ascitam. Plures reperies Juvenes florenti juventute desideratos, quia falsatus parentum amor, dum cupiditati blanditur confidenter, saluti insidiatur hostiliter, viverent utili severitate frænati, qui rapti sunt immaturâ morte præventi.

CONCEPTUS VII.

Moyse quamdiu virgam in manu suâ portabat, & jam terram, jam aquam percutiebat, mira operabatur, elementa sibi subdita, Regem aliàs obstinatum sibi obedientem habebat, ast ubi virgam in terram abjecit, in serpentem venenatum versa est. Virga hæc Moyse, parentum in filios dominium, & gubernatio.

Pars II.

(T)

natio

nationem designat, juxta Psalm. 44. *Hæc est virga directionis*. Deus enim parentibus directionem, & auctoritatem in liberos suos exercendam impertit, ut eos reprehendere, corrigere, etiam percutere, quoties necessitas exigit, possint ac debeant. & felices parentes, qui hæc virgâ directionis utuntur, eam manibus gestant, indefinenter monent, hortantur, corrigunt, etiam si opus est percutiunt, sic enim in cordibus eorum timorem Domini imprimunt, infundunt scientias, à vitiis abstrahunt. Ast ubi virgam disciplinæ, neglectâ educatione, abjiciunt, filiis blandiunt, fatuè nimis amant, omnia eis admittunt, in venenum, tam parentibus, quàm liberis hæc virga abjecta, disciplina correctionis neglectâ convertetur, ubi liberos contumaces, rebelles, sceleratos intuentur, morte turpissimâ interemptos inaudient.

Epilogus.

Hortor ergò cum Sapiente cap. 23. *Noli à puero subtrahere disciplinam, si enim percusseris eum virgâ, non morietur, et virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. Educate illos in disciplina, & correptione Domini.*

Finio cum S. Paulo ad Eph. cap. 6.

Amen.



AUGU.